



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Panarion, Hoc Est, Arca Medica Variis Diuinæ Scriptvræ  
priscorumq[ue] Patrvm Antidotis aduersus Animi morbos  
instructa**

**Busaeus, Johannes**

**Moguntiae, 1608**

V.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54834)



## V

## V E N E F I C I A.

*Remedia aduersus Veneficia.*

V. Superstio.

**P**RIMUM Remedium. Considera sacrarum litterarum testimonio, sanctorumq; Patrum, supra contra SUPERSTITIONES allata.

Eph. 6. 16.

2. Theff. 5. 8.

Ath in vita.

Epih. hær. 30.

Nid. c. 4.

Bof. lib. 15. cir.

Tob. 6. 18.

Tob. 8. 6.

II. REMED. sit vera, Catholica, & Romana Fides. Hoc enim aduersus omnes Satanæ fraudes præscripsit Apostolus in epistola ad Ephesios, dum ait. *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare aduersus insidias diaboli, & c. in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Et ad Theffalonicenses. *Nos qui dici sumus, sibi sumus, seduri lorica fidei & charitatis, & galeam spem salutis, quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Iesum Christum.* Unde B. ANTONIVS apud Athanasium, ad fratres suos dixit. *Magna dilectissimi aduersus demonem arma sunt, vita sincera & intemerata in Deum fides.* Et EPHANIUS in hæresi Ebionæorum scribit conatus Magorum, ut feminam quandam Christianam in amorem pellicerent, irritos fuisse, ob crucis signaculum ab ea factum, & insignem eius fidem. IOANN. NIDERVS in suo fornicario huiusmodi narrat exemplum. *Cum quidam maleficus inuitaret, ut quendam inimicum suum vita priuarem, aut in corpore lacerem grauius fulminis ictu, aut alio modo: vocavi ego magisterulum, id est, dæmonem: qui mihi respondit, quod neutrum facere posset. Habet, inquit, fidem bonam, & diligenter se signis crucis munit, idcirco non in corpore, sed in undecima parte fructuum suorum in campo, si libet, ei nocere possum.* Alia exempla habet THOMAS BOLIVS de Ecclesiæ Notis. Demum experientia didicimus fide Christiana Catholica in IUDIAM inuecta dæmonum præstigia, spectra, & oracula magna ex parte cessasse.

III. REMED. sit diuini nominis, Deiparæ virginis, aliorumque sanctorum inuocatio. Cuius exemplum habemus in libro S. Tobie. Huius enim filius iunior Tobias consilio angelico edoctus, dæmones, qui sue coniugis Saræ futura septem iam maritos occiderat, vim trium dierum oratione

oratione prorsus fregit & labefactavit. Nec similia desunt in veterum Patrum scriptis. Nam Greg. dictus Theologus, oratione in laudem B. G. Naz. Cypriani edita prolixè narrat, quemadmodum S. Iustina Virgo & martyr ardentibus ad Deum Deiparamq; fufis precibus omnes Satanæ machinationes, quas Cyprianus Magus in eam fœdo eius amore excaecatus concitavit, profligavit. Quo facto, inquit Gregorius, ad amantem accedit tentator, victum se recessisse indicat, eamq; ob causam à Mago contemnitur. Quam rem acerbè ferens in eum ipsum immigrat. Quid hic faceret demens & arreptivus amator? Ad Virginis Deum, quemadmodum Saul ad Davidis citbaram confugit, & à malo Spiritu per fidem in Christum purgatur, amoremq; carnalem commutat in spiritualem, magicos libros igne absumit, à demonibus secedit, Deo adiungitur. 26. Sept. Quis tandem & martyrii coronam, cum B. Iustina adeptus est, eiusq; annua memoria Septembri mense ab Ecclesia recolitur. Fuisse autem hunc alium à B. CYPRIANO Carthaginensi Episcopo, & non eundem, ut existimavit Greg. in annotationibus Romani Martyrol. ostendit Illustr. Card. Baronius, & alii. Aliud exemplum de S. Antonio eremita commemorat Ioan. G. A S S I A N V S. Philosophi duo, inquit, despicentes B. Antonium velut imperitum, ac sine litteris virum, volentesq; eum saltim de cella sua magicis prestigiis, & circumventionem demonum perturbare, spiritus ei nequissimos immiserunt, ad impugnationem hanc morsu linoris adducti, eo quod maxima hominum turba ad eum velut famulum Dei quotidie convenirent. Cumque illo nunc quidem imprimente pectori suo frontiq; signaculum crucis, nunc vero orationi suppliciter incumbente, ne approximare quidem divissimi demones eidem prorsus auderent, atq; ad eos, qui illos direxerant absq; ulla reverterentur effectu: & alios illi in nequitiam vehementiores rursus immitterent, nihil tamen pravalement, eo profecerunt tales, tantaq; eorum insidiae magica arte quæsita, ut per hæc evidentissimè comprobarent magnam professioni Christianorum inesse virtutem. Addam exemplum recentius pro invocatione B. MARIE Horat. c. 33. Virginis, ex libro quarto hystoriæ Lauretanæ à nostro Horatio Turfellino conscriptæ. Qui cum de adolescente quodam perduto narrasset, quemadmodum chirographo suo Satanæ fidem obstrinxerit, si eius ope potiri posset congressu mulieris, quam deperibat ac tandem poenitudine sceleris ductus Lauretum appulerit, ad omnem poenam subeundam paratus si spes salutis foret, tandem subiicit. Itaque sacerdos hominem monet, ut per triduum inedia, ciliatis, flagris corpus afflicteret, B. Virginis ope implorans: se eodem triduo rem divinam pro ipsius incolunitate facturum. Triduo extracto, sacerdos optimè ratus est ante absolutionem chirographum à demone extorqueri, ne quid omnino iuris in illum haberet. monet ut augustissimum B. V. Lauretanæ sacellum ingressus precibus lacrymisq; Dei param eousque fatigaret, dum chirographum à diabolo extortum reciperet. Morem gerit ille, suæ salutis, securitatisq; avidus, haud dubia spe id se impetrare posse. Ergo prostrato ante Virginem corpore lacrymans obnixè eam precatur, ut re-

cepto nefario illo chirographo salutis suae consultum velit, geni miraculo eorum  
voti efficitur. Versiculos illos ex animo iterabat. **MONSTRATE ESSE MA-  
TREM, SYMAT PER TE PRECES, QVI PRO NOBIS NATVS,  
TVLIT ESSE TVVS.** Talia precatus subito chirographum in manus suas de-  
lapsum corripit. Itaq; vix sibi met ex inopinato gaudio credens integrato fletu gratia  
Virgini entius agit. Inde sacello egressus, letitia exultans ad sacerdotem accurrit,  
receptum Desparae beneficio scriptum ostendit. Iderat tot tantisq; in Christum, cui  
ipsum qui scripserat, diris & execrationibus refertum, vt facile apparet a  
prietate humani generis hoste dictatum. Similia exempla habet CÆSARIS lib.  
6. miracul c. 26. & 27. & Thomas Cantip. Apiar. lib. 2. c. 29.

Tob. 4. 6.

Aug. c. 22.

Chry. hom. 21.

Gal. 4.

IV. R E M E D . Da operam vt cum precibus coniungas innocen-  
tiam vitæ, saltem à peccatis mortalibus, quæ homini gratiam Dei eri-  
piunt, secundum consilium à seniore Tobia filio datum. Omnibus letus  
vita tua in mente habeto Deum, & caue ne aliquando peccato consentias, & prætermittas  
præcepta Domini Dei nostri. Antidotum est B. AVGVSTINI libro de ciuitate  
Dei decimo. **VERA**, inquit, pietate homines Dei acream potestatem satan-  
micam, contrariam quæ pietati, exorcizando eiciunt, non placando: omnes tentationes,  
aduersitates quæ eius, orando vincunt non ipsam, sed suum Deum aduersus ipsam. Non  
enim aliquem vincit, aut subiugat nisi societate peccati. Incius ergo nomine vincitur,  
qui hominem assumptis, egit quæ sine peccato vt in ipso sacerdote ac sacrificio fieri re-  
missio peccatorum, id est, per mediatorem Dei & hominum hominem Christum Iesum  
per quem facta peccatorum purgatione reconciliamur Deo. Non enim nisi peccatis  
homines separantur à Deo, quorum in hac vita non sit nostra virtus, sed diuina mis-  
eratione purgatio: per indulgentiam illius, non per nostram potentiam. Et B. CHRYSO-  
STOMUS ita loquitur ad populum Antiochenum. Quid tandem sunt omnia? Sa-  
pe domum quis suam egressus hominem vidit monoculum, vel claudicantem, & omnia  
tutus est. Hac est Pompa Satânica. Non enim hominis occursum malum facit esse diem  
sed in peccatis viuere. Cum igitur domo exieris, id vnum solum custodi, ne occurrat tibi  
peccatum: hoc enim est quod supplantat: præter hoc verò nec ipse diabolus nos qui  
piam ledere poterit. Et in oratione Calendis habita. Cum, inquit, diabolus stu-  
deat nostros in virtute labores frangere, & animi alacritatem extinguere, tum bono-  
rum malas felicitates certis diebus ascribere nos docet, contra illud Apostoli. Die ob-  
seruatis, & menses, & tempora & annos: metuo vobis, ne frustra in vobis labora-  
rim. Nam qui sibi ipsi persuadet diem vel bonum vel malum esse, neque in malo die bo-  
norum factorum, curam habebit, quasi propter diei necessitatem frustra laborando nihil  
proficiet, neque contra in bono die quicquam faciet. quasi propter bonum diei successum  
propria seordia nequaquam ledatur. Itaque resistere vos oportet, & certo statuere, ni-  
hil malum esse, nisi peccatum solum, & nihil bonum, nisi virtutem solum, & propo-  
ritum Dei cultum.

V. R E M E D . Ea imprimis peccata fuge & detestare, per quæ aditum  
fit ad

fit ad Magicas artes discendas & maleficia. Inter quæ primum est secundum Doctores O T I U M . Otium enim, vt dici solet, est puluina diaboli. Vnde B. Hier. ad Rusticum monachum. *Aliquid operis facito, vt semper te diabolus inueniat occupatum.* & IOAN. CASSIANVS in institut. monasticis. *Hæc, inquit, apud Egyptum ab antiquis Patribus sancita est sententia, operantem monachum daemone vno pulsari, otiosum verò innumeris spiritibus deuastari.* Et B. BASILIVS in Hexameron. *Otium maleficio esse principium nemo ignorat.* Imò Spiritus sanctus apud Ecclesiasticum. *Multam, ait, malitiam docuit otiositas.* Exemplum habemus in filiis Israel qui propter otium in idololatriam, omnium superstitionum Magicarum matrem dilapsi sunt. *Sedit populus, inquit S. scriptura, manducare & bibere, & surrexerunt ludere* II. Vitium est. T R I S T I T I A nimia. vel D E S P E R A T I O . In *Prou. 25. 23. In Febr. apud Surius.* *morore enim animi, teste Salomone, deicitur spiritus.* Exemplum habes apud Metaphrastem ex Eutychemo Patriarcha nouæ Romæ, de Theophilo Oeconomo ita scribentem. *CVM Cæsar Iustinianus rerum potiretur, Theophilus quidam in oppido Cilicia Adana oconomus Ecclesia fuit, multis quidem ille gratius, & Episcopali munere, quod tamen constanter detrectauit, dignus existi matris. Quæ ab amulis inmerito accusatus, & de officio Oeconomi a deictus in eam animi impotentiam deuenit, vt ahortatori Mago Iudeo morem gerens Christum Dei filium, ac matrem eius Mariam data syngrapha turpissimè abnegaret, seque totum imperio Satana, qui se videndum obtulerat, traderet atque manciparet.* Hæc ille. Quamquam postea interuenit B. Virginis Mariæ, ad cuius opem confugit, syngrapham diabolicam recepit, & cum fama sanctitatis vitam conclusit. Huic tristitiæ vitio maximè obnoxie sunt mulieres, si quando in magnam aliquam calamitatem incidant, & absint, qui consilio eas iuuent. III. Vitium est, Consuetudo praua aduocandi daemone, vel se illi deuouendi. *Dilexit maledictionem, inquit Psaltes regius, & ueniet ei.* Exempla duo habes apud Cæsarium. Alterum in vita S. Engelberti Colonienfis Episcopi & martyris, quæ habet Surius, de quodam in Martyrem maledico libi infantiam imprecante, & mox furore correpto misereq; postero die consumpto. Alterum in lib. II. Miraculorū, de muliercula, cum se daemone addixisset, à daemone in aera sublata, & nusquā amplius apparente. IV. Vitium est Curiositas. Vnde monet Sap. *In pluribus operibus Dei non eris curiosus: plurima enim super sensum hominum ostensa sunt tibi. Multos enim supplantauit suspitio illorum, & in vanitate detinuit sensus illorum.* Huic vitio B. AUGUSTINVS in libris de ciuitate Dei imprimis tribuit desiderium Magicarum artium condiscendaum, nec in merito: quia B. Lucas in Actorum Apostolicorum historia, eos qui Magicos libros combusserant coram omnibus, disertè ait curiosi fuisse sectatos. V. VITIVM est S V P E R B I A . Ipse enim, inquit Iob, *est rex super vniuersos filios superbie, nempe diabolus.* V. est, LUXU-

H. ep. 4.  
Cass. lib. 10. c. 27.

Bas. hom. 7.  
Eccli. 31. 20.

Exo. 32. 6.  
In Prou. 25. 23.  
In Febr. apud Surius.

Psal. 108. 15.

Sur. in Nou.

Eccli. 3. 22.

Aug. l. 10. c. 9. &  
28. c. 19.  
Act. 19. 10.

Ecclesi. 19. 2.  
3. Reg. 11.  
Tob 6. 7.  
Marc. 16. 9.  
1. Cor. 55.  
Ibid. c. 39.  
Iob. 40. 16.

Cypri. ad De-  
metr.  
1. Tim. 6. 9.

Act. 16. 16.

2. Ioan. 1. 9.

Aug. serm. 241.

I. D. lib. 1. c. 11. 12.  
13.

P. lib. 1. mirac. c.  
6.

Met. 1. 4. Aug.

Luxuria. *Vinum enim & mulieres*, ait Ecclesiasticus, *apostatare faciunt Sa-  
pientes*. Ob hanc luxuriam Salomon idololatra factus, Afimodæus septem  
Saræ sponfos trucidauit, septem dæmonia Mariam Magdalenam occu-  
parunt, Apostolus incæstuosum Satanæ tradidit. Vnde B. Ildorus lib.  
2. de summo bono. *Principaliter his duobus vitiis diabolus humano generi dona-  
natur, id est, superbia mentis & luxuria carnis*. Vnde & Dominus in Iob loquitur ad  
diabolo dicens. *Sub ymbra dormit in secreto calami in locis humentibus*. Per calamum  
enim inanis, superbia, per loca verò humentia carnis demonstratur luxuria. Idem ha-  
bet S. Greg. lib. 33. moral. c. 3. *Qua de causa nunquam auoditum est, Vir-  
ginem aliquam castam fuisse sagam*. VII. est Auaritia. *Nam qui vultus  
diuites fieri*, ait B. Paulus. *incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, & desunt  
multa inuicta & nocua, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem*. Vnde  
legimus in Actis Apostolicis summo in pretio habitam à Magis *pyrbonem*  
*habentem, quæ quæstum magnum præstabat Dominis suis diuinando*. Et  
confitentur sagæ, nihil maleficii se inferre posse hominibus liberalibus,  
qui eleemozinas magnas egenis impertiunt. Antidota aduersus hæc  
vitia habes titulis suis.

VI. REMED. Si in peccatum lethale lapsus fueris, confestim ad Pen-  
nitentiæ vel Confessionis Sacramentalis præsidium refugias, ne aniam  
præbeas maleficio. *Si enim*, teste B. Ioanne. *confiteamur peccata nostra, soluitur  
& iustus, vt remittat nobis peccata nostra*. Hoc antidotum suis auditoribus  
contra auguria, omnesq; magicas superstitiones præscripsit B. Avo. Quis  
inquiens, *hucusque in istis diabolicis rebus captiuandum diabolo tradidit se, non con-  
de penitentiam agat, & illa sacrilegia supradicta cum omni horrore fugiat, & conuen-  
not, vt illi DEVS & indulgentiam dignetur dare, & ad æternam beatitudinem ob glo-  
riam nominis sui faciat peruenire*. Ioannes Diaconus vitæ B. Gregori Magni  
scriptor tria commemorat exempla eorum, qui à dæmone possessi,  
mox vt peccatum B. Gregorio confessi sunt, pœna peccati liberati fuerunt,  
ac eorum quidem vnum cum octies negasset, octies à dæmone renouata  
vexatione tortū, nona demum vice, qua furtum factus, percepta abso-  
lutione penitus fuisse redditum immunem. Petrus quoque Cluniacensis  
Abbas, æqualis D. Bernhardi, cum narrasset horrendam monachi cuius-  
dam vexationem, neque oratione, neque aquæ lustralis aspersione tolli-  
potuisse, tubiungit. *Sed ne miretur aliquis benedictæ aquæ aspersione dæmonem non  
fugatum: agnoscat tabe interioris latente yngueta exterius adhibita nihil proficere posse*.  
*Tabem autem voco lethale peccatum, quod quamdiu in interioribus quibuslibet in-  
tuerit, nullius exterius Sacramenti perceptio ei prodesse poterit*. Hortatus ergo  
lum ad confessionem omnium peccatorum faciendā Abbas, postquam  
confessus, vexatio prorsus desit. Sic & S. Athanasia! Abbatisa, apud Me-  
taphrastem, mulierem quandam eripuit à vexatione cuiusdem dæmonis.  
& Re

& Reginaldus in vita s. Dominici Confessionis beneficio quendam fratrem; quem dæmon pede apprehensum per templum raptabat, ab eo vindicauit. Theodor. de Apold. lib. 6. vitæ.

VII. REMED. est S. EUCHARISTIA, & incruentum MISSÆ sacrificium. *Vir Tribunianus*; ait B. AVG. in libris de Ciuitate Dei, *Hesperius qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum Zubedi appellatum, ubi cum afflictione animalium, & seruorum suorum, domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogauit nostros, me absente presbyteros, vt aliquis illorum eo pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit vnus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, vt cessaret illa vexatio, DEO protinus miserante cessauit.* IOAN. CASSIA Aug. l. 22. c. 8.  
NVS in Collationibus meminit cuiusdam à dæmone nocturnis illusionibus grauitè infestati, qui cum Seniorum consilio medicina salutari S. Eucharistiæ vsus fuisset, *ita omnis, inquit, diabolice tentationis scena detecta est, vt mox virtute Dominici corporis protegente, illa preterita illusionis consuetudo cessaret.* S. BERN. vt est in eius vita, personam quã Cass. coll. 21. c. 6.  
dam imposita tantum Eucharistia in eius caput ab generis humani hoste liberauit. Mediolani quoque sacrificio Missæ coram energumena oblato, postquam pacem ministro in populum diffundendam dedisset, pax & salus integra mulieri restituta est. S. Macarius quoq; Guilh. lib. 2. c. 7.  
apud Palladium in historia Lausiaca palam testatus est, cum mulierem quandam à maleficio liberaffet, idcirco incantationem Magicam vim in illam habuisse, quod S. Eucharistiã fumere diebus multis omisisset.

VIII. REMED. Oleum infirmorum per Episcopum benedictum, quo ex diuina institutione vtimur in Extremæ vnctionis Sacramento, est enim ad corporis quoque sanitatem institutum. V. BEDA scribens in Lucam narrat monialem energumenam à dæmone grauitè vulneratam Sacerdotiale consilium dedisse. *Si oleum pro infirmis consecratum medicamento asperseris, sicq; me perunxeris, statim sanitati restituar.* Nam vidi quondam per Spiritum in quadam longius posita ciuitate, quam nunquam corporalibus oculis vidi, puellam quandam pari calamitate laborantem, taliter à sacerdote curatam. Fecit vt illa suggesserat, statimq; hucus remedium, quod ante respuerat, accipere consensit. Sic, apud Metaphrastem, Eucheria vxor Agapij veneficio attentata, cum ei roderentur Marc. c. 16.  
intestina, à S. Parthenio oleo sanctorum sanata est. Sic eodem te Iac. 5. 14.  
ste B. Auxentius Archimandrita morbis à dæmone illatis mederi Bed. in c. 2.  
consuevit. Met. 7. Feb.  
Id. 14. Feb.

IX. REMED. est Exorcismus Ecclesiasticus, à primis Ecclesiæ Catholicæ initijs ita probatus, & frequentatus, vt inde nomen obtinuerit

nuerit Ordo Ecclesiasticus Exorcistarum. Exorcismus autem non est, aliud quàm oratio & adiuratio ab Ecclesia approbata, qua nomine Christi imperamus dæmoni, vt ab homine recedat. Concluditur autem, non vt alia preces, *Per Christum Dominum nostrum. Sed, per eum, qui venturus est iudicare seculum per ignem.* Nihil enim dæmones æquè horrent, ac nominationem dici extremæ, quia ea detur-

Ex. ad Demet.

bandi sunt in Tartara. Vnde B. Cyprian. Demetrianum Christianorum hostem sic alloquitur. *O si audire eos (dæmones) velles & videre, quando à nobis adiurantur, & torquentur spiritualibus flagris, & verborum tormentis de obsessis corporibus eijciuntur, quando euulantes & gementes voce humana & potestate diuina flagella & verbera sentientes, venturum iudicium consentitur.* Formulam exorcismi habet Sacerdotale Romanum. Cauere autem debet Exorcista, ne cum dæmone iocetur, & curiosa misceat colloquia. *Vidi, inquit Ioan. Niderius in Formicatio suo, in conuentu Coloniensi fratrem, verbis satis iocosum, sed in gratia expellendi dæmones valde famosum. Hic cum in terminis conuentus Coloniensis dæmonem in obsesso corpore arctaret, dæmon petiuit à fratre locum recedendi: quo gauisus frater ait ioco. In cloacam meam vadas. Exiit igitur dæmon, & nocte cum frater ventrem purgare vellet dæmon tam dicit eum torfit prope cloacam, vt vitam cum difficultate saluaret.* Sancta res est, dæmones eiicere, & ideo sanctè tractanda. Exemplum peruer-

E. Nider.

stum & illustre exorcismi habes apud Surium in vita B. Vrsimari Episcopi à Ratherio conscripta. *ad quem cum Monialis à dæmone obsessa adducta esset, ille non de sua, sed de Domini presumens virtute, accepto libro cepit legere exorcismum super caput illius. Dehinc benedictio oleo nares, & os eius liniuit, & protinus immundum ab ea spiritum fugauit. Liberata tamen puella paucis quidam, qui presentia diaboli seminatui fuerat, ab hac pectoribus vicinorum inerat. At vir Domini precepit sibi aquam cum sale deferri, quibus benedictis, iussit spargi per cuncta monasterij loca, & sic omnis paucis cum auctore suo Satana discessit.* Qui ritus & hodiè sunt in vsu. Illud verè sciendum est, vt rectè monet Tostatus, exorcismus non repellit omnes molestias, quas dæmones inferunt hominibus, sed eas tantum ad quas repellendas exorcismi ab Ecclesia ordinantur, cuiusmodi sunt illæ, quas inferunt corporibus, dum intra illa manent, vel exterius ea obsident.

Sur. 17 April.  
Vixit ante annos 800.

c. in Sabbato de  
cap. d. 4.

X. REMED. Aqua benedicta, eaq; duplex. Vna baptismalis, in vigilia Paschæ & Pentecostes consecrari solita, quæ iure Canonico est comprobata. Altera lustralis, singulis Dominicis, nominatim ad dæmonis fraudes auertendas, benedici solita, de qua exstat Alexandri L. Papæ epistola. Exempla de hac re sunt innumera. B. Epiphanius



phanus scribit in Panario, Iosephum quemdam, cum adhuc Iudæus Epiph. hær. 70.  
 esset, insanum hominem asperione aquæ benedictæ sanitati resti-  
 tuisse. Palladius testatur B. Macarium eremitam, foeminam quan- Pall. in Laus. c.  
 dam magicis præstigijs in equam transformatam, effusa in caput e-  
 ius sacra aqua, pristinae formæ reddidisse. B. Theodoretus quoque Th. 2. hist. c. 20.  
 in historia Ecclesiastica commemorat, Marcellum Episcopum, cum  
 Iouis Apameni sanum dirueret, cerneretq; dæmonis spectrum im-  
 pedire, ne materiam ligneam flammæ vis depalceretur, signaculo  
 crucis aquam benedixisse, ea flammam aspersisse, spectrumq; depu-  
 lisse. S. Eligius Nouiomensis Episcopus quinquaginta energume-  
 nos simul porrecta eis aqua benedicta liberavit, teste B. Audoueno, a- Aud. lib. 2. c. 20.  
 pud Surium. S. Anno item Archiepiscopus Colonienfis in Germa-  
 nia, S. Maclouius in Gallia, & S. Laurentius Dunelmensis in Britan- Sur. in vitis  
 nia, crebro dæmones hoc sacro rore fugauerunt, vt liquet ex eorum  
 vitis. Recentia huius seculi exempla tum in nostro, tum imprimis in  
 nouo orbe, prætermitto. Vt verò aquæ benedictio valet contra dæ-  
 monem, omniaq; maleficia, sic & benedictio candelarum, panis &  
 vini, olei, salis, cereorum, herbarum, palmarum, &c. *Omnis enim  
 creatura, teste Apostolo, sanctificatur per verbum Dei, & orationem.*

XI. REMED. sunt Agni Dei, quos solemni ritu certis temporibus  
 benedicere solet summus Pontifex, de quorum effectibus exstat li-  
 ber Vincentij Bonardi, & carmen prolixum nostri P. Andreae Frusij  
 in Libello Sodalitatis B. Virg. Mariæ auctore P. Francisco Costero.  
 Exempla recentia efficaciarum eorum habes in 3. p. Disquis. Magica-  
 rum nostri P. Martini Delrio, qui copiosissimè omnia Remedia ha-  
 stenus allata excussit.

XII. REMED. Reliquiæ sanctorum, vt merito dixerit Psalmista. Psal. 138. 17.  
*Nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eo-  
 rum.* B. Greg. Turonicus altero libr. de gloria Martyrum scribit pue-  
 rum quendam ægrum, cum hariolo sanandus traditus fuisset, per in-  
 cantationes & ligaturas potius morti, quam vitæ mancipatum: a-  
 lium verò eadem lue laborantem pulueribus è S. Martini sepulchro Id. l. 1. c. 6.  
 sumptis sanitati restitutum. Idem libro priore refert Iustum ma-  
 gicis præstigijs infestatum, supposito capiti freno Constantini Ma-  
 gni, cui clauus Domini erat intextus, tertia nocte quieti pristinae re-  
 stitutum. Thomas Fazellus libro de rebus Siculis decimo narrat, Faz. c. 2.  
 quotannis ad D. Philippi Apostoli sepulchrum in Sicilia plurimos  
 energumenos liberari, ac anno quidem 1541. ducentas feminas ser-  
 uitate diabolica solutas. Quod idem hodie cernimus fieri in Belgio,  
 vt in Brabantia Gela, ad S. Dymphnae ossa, & Rothuaco Flandriae ad-

Reliquias D. Hermetis. Eandem virtutem RVPERTVS Tuitlenſis  
 Abbas attribuit S. Heriberti Coloniensis Archiepiscopi sepulchro.  
 & Werdenses monachi libro 3. vitæ S. Lutgero Monasterienſi Episcopo,  
 & Albinus Flaccus in eius vita S. Richario. Quare merito  
 B. IOAN. DAMASCENVS libro de orthodoxa fide quarto, sanctorum  
 reliquias vocauit *fontes salutiferos*, ex quibus plurima ad nos beneficia  
 manent. *suauissimumq; unguentum profluat*. Id tantum cauendum in huius  
 Remedij vsu, ne superstitioſæ aliquæ carimonix admisceantur.  
 Testata id fuit B. GLYCERIA martyr, ex cuius corporeis exuijs un-  
 guentum suauissimum, & omnibus morbis saluberrimum fluere so-  
 lebat. Quadam verò die cum Episcopus Perinthi inscienter arge-  
 teum vasculum emisſet, quod Magicis ministeriis impensum fuerat  
 continuo desit sacri fluor unguenti. Qua *renoua*, vt narrat NICE-  
 PHORVS CALLISTVS, *perculsus antistes ad preces confugit, diu-*  
*inoque impulsus spiritu vas nouum amouit, & antiquum reposuit, ac pri-*  
*uus unguentum, sicut prius, scaturire cepit. Quocirca rem diligentius in-*  
*quirens, comperit vas illud nefandis rebus seruisse: quod simul atq; ad auri*  
*Imperatoris peruenit, habita questione tanticriminis reum, uti par erat, sup-*  
*plicio affici iussit.*  
 XIII. REMED. Amuleta sacra collo appensa, vt *Symbolum Aposto-*  
*licum. Initium Euangelij D. Ioannis. Psalmi alicuius particula. Effigies crucis*  
*agni Dei, Reliquia sanctorum*, modò nihil falsi, aut vani misceatur, vt  
 quod verba debeant esse conscripta in charta virgine, vel minio, vel  
 si inusitatus effectus expectetur; vt quod non possit occidi in bello,  
 qui talia gestet, vel quod effectus omnis tribuatur litteris, vel mate-  
 ria, & non virtuti diuinæ vel sancti. NICEPHORVS commemorat se-  
 per peccus B. BARNABÆ Apostoli in Cypro repertum Euangelium  
 secundum Matthæum. S. CECILIA, semper Euangelium Christi ge-  
 stabat in pectore, teste S. Thoma. GREG. Nyssenus ait S. Mactinam,  
 S. Basilij sororem semper è collo gestasse crucem, & anulum excau-  
 tum, in quo erat particula crucis Dominicæ. GREG. Turonicus te-  
 statur in lib. 1. de gloria Martyrum se parentèsq; suos in cruce auræ  
 gestasse reliquias D. Virginis & S. Martini S. Damascenus scribit in-  
 vta Barlaam & Iosaphat anachoretas solitos secum gestare reliquias  
 sanctorum. S. Thomas Aquinas quoque, vt est in eius vita, è collo ge-  
 stauit reliquias S. Agnetis. Emmanuel Costa in commentario rerum  
 Indicarum scribit Hormutij nostris temporibus demonem eius-  
 modi amuletis scriptis ex energumena pulsum. AGNI DEI deni-  
 que à summo Pontifice ideò præcipuè benedicuntur, vt è collo su-  
 spendantur.

XIV. REMED. Campanarum benedictarum pulsus. Experiencia enim quotidiana docet, eum tam infestum & inimicum dæmonibus esse, vt sæpe tempestates, vel ingruentes impediuntur, vel exorta auertantur, vt docet Synodus prouincialis Colonienſis cap. *P. Clun. c. 17.* 24. & PETRVS Cluniacensis Abbas, libro primo miraculorum confirmat exemplo; nam cum aliquando diabolus Abbatis specie assumpta monachum quendam Italicum regularis disciplinæ seueritatem fastidientem hortari cæpisset, vt septa monasterii transgrediretur, mox atque campana signum datum est ad mensam, maximo impetu, fectus ille Abbas in proximas latrinas, vidente fratre, se demersit. Et ipse maleficæ fatentur, quando à dæmonibus ad conuentum Sagarum deferuntur, vel inde domum referuntur, si signum aliquod campanæ audiatur, confessim dæmones ipsarum baiulos spurcum onus in solum deiicere, & fuga trepidos dilabi. Recentiores de hac re historias ex actis iudicialiis depromptas, lege apud PETRVM Binsfeldium de Confessionibus Maleficarum, & alios. *Binsf. dub. 6. post concl. vlt.* Tribuenda autem est hæc vis & efficientia campanarum, non formæ, vel materiæ vel etiam sono earum, sed benedictioni vel consecrationi earum sic diuino iussu vel dispositione operanti. Vbi enim benedictæ non sunt, vti sæpè apud hæreticos, ibi nihil quoque efficiunt.

XV. REMED. Maleficos minis, vel vi & verberibus, moderatis tamen, adigere vt signa maleficij, ipsumq; maleficium tollant. Quod remedium licitum videtur seruatis tribus conditionibus. 1. si certo cognoscatur auctor maleficij. Nam suspectos tantum verberare, aut alia afficere contumelia, nec fas nec iura sinunt. 2. si nihil superstitiosum putetur adhibiturus. 3. dum non existimetur morbum in alium translaturus, quod fere semper facere consueverunt, vt B. GREG. Turonicus in historia Francorum probat exemplo. Videlicet ista diaboli liberalitas est, vt boni nihil vllis hominibus præstet, nisi cum æquali vel maiori hominum damno. Quo spectat narratio B. GREG. Magni in libris Moralium de Virgine oblecta, quæ cum opera Magorum ab vno dæmone fuisset liberata, in vnius locum sex vel septem dæmonum millia successere. Huius remedij exempla vide apud Nicolaum Remigium libro 3. Dæmonol. c. 3. QVÆRES an liceat petere à malefico, vt maleficium maleficio tollat. Respondeo, non licere, siue paratus sit, siue imparatus ad tollendum, quia non licet consensum præbere in peccatum alterius. Liceat autem petere, si paratus esset tollere sine nouo maleficio, vti omnes fere Doctores tradunt. Hoc enim esset vti iure suo, & inducere Magum ad id, quod facere tenetur. Exemplum habemus in

*Greg. T. cap. 36. hb. 6.*

*G. lib. 1. c. 2.*

Apud Sur. in  
April.

vita S. Theodori Archimandritæ, qui Theodorum Magum ad po-  
nitentiam adductum iussit primò omnia peccata sua confiteri. 2. li-  
bros magicos in medium proferre. 3. maleficia in hominibus, bellis  
& domibus infectis dissolvere. 4. non amplius ea exercere, sed peni-  
tentiam agere. Quæres secundo, an liceat vnicuiq; maleficii signa  
tollere? vt ollas, ligamina, plumas & similia, quæ ex pacto cum dæ-  
mone initio magus adhibere solet, vt aliquis maleficio lædatur. Re-  
spondeo licere, non solum in contemptum Magicæ superstitionis,  
verumetiam ipe cessationis morbi vel mali inflicti, vt docent omnes  
Scholæ Doctores, & Sacerdotale Romanum tradit esse quasi neces-  
sarium. Exemplum habes in Malleo maleficarum Iacobi Sprengeri.  
Quod autem B. Hilarion, teste B. Hieronymo in eius vita, nolent  
signa maleficii perquiri, cum vi oratione dæmonem ex puella ener-  
gumena eiiceret, id ideo factum est, quod oratione sola posset eum  
exturbare. Deinde, ne videretur dæmoni credidisse affirmanti se, nisi  
ablato signo posse ab obsessa recedere, quod erat falsum.

Sp. p. 2. q. 1. c. 1.

Amb. ep. 82.  
March. 17.

A. serm. 67. de  
temp.

XVI. REMED. sit. Castigatio corporis per ieiunia, discipu-  
nas vel verbera, cilicia, humicubationes, & similia. Christus enim  
ipse contra tentationes Dæmonis pugnaturus longo, inquit B. Am-  
brosius, se armavit ieiunio, & aperte apud Matthæum docuit acro-  
ra quædam dæmonia non superari, nisi ieiunio & oratione. *Vide, ait*  
*S. Augustinus, quanta sit ieiuniorum virtus, vt id facere ieiunia videant,*  
*quod Apostoli nequiverunt.* Vnde Athanasius in libro de virginitate. *Vi-*  
*des quid faciat ieiunium? morbos sanat, distillationes exsiccat, dæmones fi-*  
*gat.* Et infra. *Quisquis ab immundo spiritu vexatur, certum habere debet,*  
*hoc pharmaco ieiunii statim spiritus malos afflictos abscedere, vni ieiunii na-*  
*tuentes.* Et S. Greg. Nazianzenus explicans oratione de laudibus  
B. Cypriani, quibus armis sancta quædam virgo diabolum, magicas-  
que artes à se repulerit, *ieiunii, inquit, & humicubationis pharmacum ob-*  
*secit.* Pro verberibus complura habes exempla. Primum est B. Greg.  
Magni, de dæmone à S. Benedicto abacto. *Cum vir Dei, inquit, venisset*  
*ad monasterium, & constituta hora expleta psalmodia sese fratres in orati-*  
*onem dedissent, aspexit quod monachum qui in oratione manere non potuit,*  
*quidam niger puerulus per vestimenti simbriam foras traheret, extra orato-*  
*rium scilicet. Tunc Patri monasterii Pompeiano nomine. & Mauro Dei serua-*  
*lo secretè dixit. Nunquid non aspicitis, quis est, qui istum monachum foras*  
*trahit? Qui respondentes dixerunt. Non, quibus ait. Oremus, vt vos etiam*  
*videatis, quem iste monachus sequitur.* Cumq; per biduum esset oratum, *Ma-*  
*rus monachus vidit, Pompeianus verò eiusdem monasterii Pater videre non*  
*potuit. Die igitur alia expleta oratione vir Dei oratorium egressus stantem*  
*foras*

foris monachum reperit, quem pro cecitate cordis sui virga percussit. Qui ex illo die nil per suasionis ulterius à nigro iam puerulo periculit, sed ad orationis studium immobilis permansit: sicq̄ antiquus hostis dominari non ausus est in eius cogitatione, ac si ipse percussus fuisset ex verberere. Alterum est apud Petrum Damianum in vita S. Dominici Loricati superiori non ab simile, nempe de monacho, qui sæpe vagabundus extra cellam vagabatur, quem dæmon non ante deseruit, quam crebrius acriter vapulasset. Nam septima tandem vice clara voce clamavit. *Ecce diabolus abiit, ecce nequissimus cordis mei habitator aufugit, meq̄, nexibus, quibus astringebat, effectis liberum reliquit.* Hoc modo, inquit Damianus, frater ille ad humilitatis custodiam rediit, & in cella iugiter perseuerans, de cetero irreprehensibiliter vixit. Tertium exemplum est Theodorici Abbatis de S. Hildegardæ Abbatis, B. Bernardi æquæua, prolixè descriptum: cuius hæc summa est. Nobilis famina septem annos à dæmone obsessa ab amicis adducta est ad cænobium Brunvilerense diocesis Coloniensis, vt ibi Dei & S. Nicolai patrocinio liberaretur. In tertium mensem frustra à Patribus sudatum in dæmone pellendo. Quia verò dæmon indicarat se vasculum suum non dimissurū nisi ope Schrompelgardis, ridens hac appellatione S. Hildegardem id temporis in diocesi Moguntina Bingæ à miraculis celebrem, Abbas per litteras humiliter rogauit eam, vt in re tam luctuosa succurrere dignetur. Illa viso diuino monita rescripsit dæmonem illum non posse nisi ieiuniis, flagellis, orationibus & elemosynis eiici. *Audite ergo, inquiens, non responsum hominis, sed ipsius qui viuunt. Eligite septem boni testimonii, & quos vita meritum probat sacerdotes. & ieiuniis, flagellis, orationibus, elemosynis, & Missarum celebrationibus præmissis, humili intentione & habitu sacerdot aliam stolis ad patientem accedant, & eam circumstantes vnusquisque eorum virgam in manu teneat in figura virgæ, qua Moyses Aegyptum, mare rubrum, petramq̄, præcepto Dei percussit, vt sicut Deus ibi per virgam miracula ostendit, ita & hic pessimo hoste virgis ciecito seipsum glorificet, &c.* His litteris humiliter super energumenam recitatis, cum Lector, inquit, ad locum venisset, ubi in sine scriptum est. *Et ego indocta & paupercula femina, o blasphemæ & derisor spiritus, tibi præcipio, vt de ista homine exeas; idem nequam spiritus totus infremuit, ac tantò ululatu, tamq̄ horridos clamores emisit, vt omnes perterrefecerit. Et dum his fere per dimidiam horam bacchando insitisset, tandem vi Deo placuit, vis quod diu possederat reliquit.*

Th. lib. 3. c. 20.  
apud Sax.

VIDE V. Amorsui. Curiositas. Desolatio. Illusiones spirituales. Impatience in damno rerum temporalium. Luxuria. Maledictio. Superstitio. Tristitia. Voluptas carnis.

VESTI-

## VESTIVM LVXVS.

## Remedia contra luxum vestium.

Eccli. 11. 4.  
1. Tim. 2. 9.

1. Pet. 3. 3.

Isa. 3. 24.

Isa. 5. 1.

1. Tim. 6. 7.

Cyp. de habitu  
virg.

Isa. 3. 16.

BaChom. 1. 4.

**I. REMED.** Considera verbi diuini oracula de luxu vestium. Primum enim dehortantur illum *In vestitu*, ait Sapiens, *ne gloriaris in quoque nec in die honoris tui extollaris.* Et B. Paulus. *Voló mulieres orare in habitu ornato cum verecundia & sobrietate, ornantes se non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa,* Et D. Petrus. *Mulieres iudicet sint viris suis, &c. quarum non sit extrinsecus capillarura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus, sed qui absconditus est in corde homo, in incorruptibilitate modesti & quieti spiritus.* 2. declarat a Deo puniri, nam cum apud Isaiam prolixé Deus filiarum Sion luxum attingisset. *Et erit, inquit, pro suauis odore factor, & pro zona funiculus, & pro crispantia crine caluitium, & pro fascia pectorali cilicium.* Et B. Iacobus. *Agite nunc diuites, ait, plorate & ululate in miseris vestris, quia aduersum vobis. Diuitie vestre putrefacte sunt, & vestimenta à tineis comesta sunt,* monet vt vestitu honesto contenti simus, hoc est, quo corpus obtegamus & contra iniurias cæli muniamus. Nam ait Apostolus ad Timotheum. *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus.*

**II. REMED.** Considera S. Patrum testimonia. B. Cyp. *Fragrant castæ virginis & mulieres pudicæ in castarum cultus, habitus impudicarum, lupanarium insignia, ornamenta meretricum, clamat spiritu sancto pater noster Isaias, & filias Sion auro & veste comptas increpat, & obiurgat permissis opibus affluentibus, & à Domino per seculi delicias recedentes. Exaltata sunt, ait, filie Sion, & ambulauerunt alto collo, & nutu oculorum, & incessu pedum trahentes tunicas, &c. Exaltata ceciderunt, compta turpitudine mendacitatemq; meruerunt. Serico & purpura induta Christum induere non possunt: auro & margaritis & monilibus ornate ornamenta corporis & pectoris perdididerunt. Quis non id excretur & fugiat, quod aliis fuerit exitum? Quis id appetat & assumat, quod ad necem alterius pro gladio fuerit & vultu?* S. Basilius de legendis libris gentilium, *Comas aut vestes superuacua curare, vel infelicium est, vt agit Diogenes, vel iniustorum.* Nam quid ex talibus expectandum, aut suspicandum, nisi vt lasciuus ille ornatus feminas pretereuntes inuitet, aut alicuius matrimonii insidietur? Quid enim apud eum qui sapit differre potest, tenuem sumptuosamq; vestem induere, an videri? modo satis hæc ad frigus caloremque arcendum fuerit. Et ad hunc modum etiam in reliquis quicquid necessitatis usum excedit vitandum negandum. corpori plus ornatus dandum est quam quantum anima prosit. Greg. Nazianzen.

Naz. ad olym-  
piad.

zianz. in parænetico carmine. *Non aurum nobilius gemmis immixtum mulieribus ornamentum affert, nec regia facies turpiter iucundis coloribus tincta pernicioſaq; alia facie obducta. Purpurea porro & aurea, eximięq; & splendida veſtes his demum conueniunt, quibus nullus vite ſplendor, nullum virtutis decus ſuppetit.* S. Amb. de Virg. *Neglecta decoris cura plus placet,* Amb. lib. 1.  
 & hoc ipſum quod nos non ornamus ornatus eſt. Hier. in vita Pauli eremi- Hier. tom. 1.  
 ta. *Vos in tunicis aurum textitis, ille, Paulus, ne viliſſimum quidem veſtimen- tum habuit mancipii veſtri. Sed è contrario illi quidem pauperculo paradifus patet, vos auratos gehenna ſuſcipiet. Ille veſtem Chriſti, nudus licet, tamen ſeruauit: vos veſtiti ſericis, indumentum Chriſti perdidiftis.* Et ad Nepo- Epist. 11  
 tianum, de vita clericorum. *Veſtes pullas aque deuita, vt candidas; Or- natus, & ſordes pari modo fugienda ſunt: quia alterum delicias, alterum glo- Chry. hom. 18.  
 riam recedit.* Chry. in Geneſia. *Dicant nobis, qui tanto vtuntur appara- tu, vt iam vſum lane prorſus audire nolint, ſed ſerico veſtiantur, eoq; in ſania peruenere, vt aurum veſtibus intexant. In primis autem mulieres huic molli- tici dedita ſunt. Quare dic, obſecro, corpus ita ornas & gaudes eiſmodi ami- ctu? Non cogitas, quod pro magno ſupplicio propter transgreſſionem tegmen hoc excogitatum eſt? Et quare non audis Paulum dicentem, Habentes victum & amictum illis contentiſſimus? Vides, quod vnus tantum rei habenda ſit cu- 1. Tim. 6. 8.  
 ra, videlicet, ne corpus nudum ſit, ſed vt tegatur. Num adhuc de varietate veſtium oportet ſolicitum eſſe? S. Greg. in Euangelia. *Quod pro ſola inani Greg. hom. 16.  
 gloria veſtimentum pretioſius queritur res ipſa teſtatur. Vnde nemo velit pretioſis veſtibus indui, vbi ab aliis non poſſit videri.* S. Bern. in libris de Bern. lib. 3.  
 conſideratione. *Veſtium curioſitas deſormitatis mentium & morum indi- cium eſt.**

III. REMED. Considera luxum veſtium prorſus repugnare Chriſti doctrinæ & exemplo. Vbiq; enim in Euangelio commendat nobis humilitatem, paupertatem & vanæ gloriæ contemptum. *Beati pauperes ſpiritu, inquit, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Et. *Discite a me, quia mitis ſum & humilis corde.* Et. *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* Cyp. de habitu Virginum. *Si non eſt maior Domino ſeruus, & liberatori debet obſequium liberatus, qui eſſe cupimus Chriſtiani, debemus quod Chriſtus fecit & docuit imitari. Scri- ptum eſt enim, & legitur & auditur, & in exemplum noſtræ Eccleſiæ ore celebratur. Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet, quomodo ille ambulauit, & 1. Ioan. 18.  
 ipſe ambulare. Ambulandum eſt veſtigis paribus, emula ingreſſione nitendu eſt. Tunc reſpondet ad ſidem nominis ſectator veritatis, & credenti præ- mium datur. Quod autem Chriſtus luxum veſtium damnarit, pro- barit verò vilitatem non obſcure declarat B. Greg. his verbis. *Sunt Greg. hom. 40.  
 nonnulli, qui cultum ſubtilium pretioſarumq; veſtium non putant eſſe pec- in Euang.  
 catum.**

- tatum. Quod si videlicet culpa non esset, nequaquam sermo Dei tam vigilanter exprimeret, quod dives, qui torquebatur apud inferos, bysso & purpura indutus fuisset. Nemo quippe vestimenta pretiosa nisi ad inanem gloriam querit, ut honorabilior ceteris esse videatur. Nam quia pro solamini gloria vestimentum pretiosius queritur, res ipsa testatur, quod nemo vult ibi pretiosius vestibus indui, ubi ab aliis non possit videri. Quam culpam possumus melius etiam ex diverso colligere, quia si abiectio vilis indumenti virtus non esset, Evangelista vigilanter de Ioanne non diceret. Erat indutus pilis camelorum.
- IV. REMED. Considera repugnare exemplo fidelium veteris & noui testamenti. Primum sit Adam & Euæ, quos Deus pelliceis induit vestibus. De quibus Chry. in sermone de cohabitatione regularium feminarum cum viris. Idcirco Adam induit Deus vestes pelliceas, similiter & eius mulierem: quamvis si voluisset, delicatis eum potuisset induere vestibus, sed nobis per illas ostendit, quod non sit presens tempus deliciarum, sed gemendi & plangendi. Et alibi. audiant opulenti, & qui luxuriant in vermium operibus, & vestiuntur sericis, discant quomodo ab initio humanam naturam misericors Dominus docuerit. Quia propter transgressionem pena mortis reus erat factus protoplastus, opusque habebat vestis, qua confusionem tegeret, pelliceas fecit vestes: quod docuit nos, ut mollem & dissolutam viam fugiamus, & austeram magis amplexemur. Alterum sit reginæ Hester, de qua B. Hieronymus ad Demetriadem, de Virginitate seruanda. *Æstuabat Christi tyruncula (Demetrias) oderat ornatum suum, & cum Hester loquebatur ad Dominum. Tu nosti, quod oderis insigne capitis mei, hoc est, diadema quo utebatur quasi regina, & tanta decorem immunditie, velut pannum menstruale.* Et S. Augustinus ad Edictam. *Quod si aliqua dura conditione cogereris, (ad indecentem ornatum) posses habere in superbo cultu cor humile. Nempe apud Patres Hester illa regina Deum timens, Deum colens, Deo subdita, marito regi alienigena non eundem secum colenti Deum, tamen subiecta seruiebat: qua cum extremo periculo, non suo tantum, sed etiam gentis suæ, qui tunc erat populus Dei, Domino prosterneretur orando, in ipsa oratione sua dixit, ut sibi esse ornatum regium, sicut pannum menstruale, & ita orantem celsim exaudiuit, qui cordis inspector eam verum dicere sciuit. Tertium sit S. Ioannis Baptistæ. De quo B. Bernardus in sermone de eius natiuitate. Considera, inquit, hominem Angelico promissum oraculo conceptum miraculo, sanctificatum in utero, & nouum in nouo homine penitentia mirare seruorem. Victum & vestitum, ait Apostolus, habentes, his contenti simus. Apostolica ista perfectio est; sed Ioannes etiam hæc contempsit. Denique audi Dominum in Euangelio. Venit, inquit, Ioannes, non manducans, nec bibens: planè nec vestiens. Sicut enim non est locu-*
- Luc. 16. 19.
- Matth. 3. 4.
- Gen. 3. 21.  
Chry.
- Id. hom. 18. in  
gen.
- Hier. ep. 8.  
Eph. 1. 16.
- Aug. ep. 199.
- Berth. 1. 16.
- s. Tim. 4. 8.
- Matth. 11. 18.



est locusta cibus, nisi aliquorum forte irrationabilium animalium, sic nec pilus cameli humanum est indumentum. Hic ergo Ioannes, quo nulus maior in natis mulierum innocentissimum illud corpus sic castigat, sic exrenuat, sic affligit: vos indui festinatis bysso & purpura & splendide epulari? Hæc ille. B. Ioannis exemplum imitati sunt, qui apud Apo-  
 stolum, circuierunt in melotis & pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cauernis terra. Deinde Paulus primus eremicola, Antonius, Arlenius, Macarii, Hilarion, Pachomius, & innumerabiles alii vilissimo habitu contenti: quo nonnunquam etiam ditissimos homines ad sui imitationem permouerunt. Ita  
 enim scribit Palladius de utroque Macario, Alexandrino & Ægy-  
 ptio. Cum ambo essent Nilum transmissuri, accidit ut ipsi maximum pontonem ingrederentur: in quem ingressi sunt duo tribuni cum magno fastu & apparatu, ut qui intus haberent rhedam totam anciam, & equos frenis aureis, & quosdam eosdem stipantes milites satellites, & pueros torquibus, & aureis zonis ornatos. Postquam ergo tribuni viderunt ipsos veteribus pannis indutos, & sedentes in angulo, humilem illam & tenuem viuendirationem beatam iudicabant. Vnus autem ex tribunis dixit ad ipsos. Beati estis vos, qui mundum illuditis Respondens autem Macarius qui erat urbanus, dixit eis. Nos quidem mundum illudimus, vos autem illudis mundus. Scias autem te non tua sponte hoc dixisse, sed propheticè, ambo enim vocamur Macarij, hoc est, beati. Is autem sermone eius compunctus, cum domum venisset, vestes exuens, delegit vitam agere solitariam, multas faciens elemosynas.

V. REMED. Considera quid Ethnici ratione sola naturali ducti de luxu isto senserint & scripserint. Imprimis Octavianus Augustus, teste Macrobio libro 2. Saturnalium, simplici amictu utebatur, sui que, si secus facerent, grauius ferebat; & licentiosem in filia sua Iulia reprehendit. Seuerum Imperatorem, teste Brusonio, cum quidam viliore amictu contentum admirarentur, hoc responso factum suum defendit. Imperatoria maiestas virtute constat, non corporis cultu. Alianus in varia historia auctor est Lacædemoniorum Ephoros, id est, summos magistratus quotidie obire solitos ad inspectionem vestium, ne quid à decenti ornatu alienum vsurparetur. Eosdem Lacædemonios laudat Clemens Alexandrinus in Pædagogico, quod solis meretricibus permitterent floridas vestes & aurum mundum gestare. Similiter Athenæus, ex Phylarcho testatur apud Syracusanos cautum fuisse, ne mulieres auro ornarentur, nec floridas vestes gestarent, nec purpureos haberent contextus, nisi

Laert. lib. 6.

forte publica esset meretrix. Diogenes, apud Laertium de vitis Philosophorum, adolescenti cuidam æquo emotiori, cum quaestione proposuisset, ita respondit. *Non tibi prius responsurus sum, quam subitis vestibus ostenderit, utrum masculus sis an femina.* Eodem auctore Solon è Sapiensibus vnus Cræso regi Lydiæ, cum comptissimus in throno sedisset; rogassetq; num pulchrius vnquam spectaculum vidisset, respondit, se vidisse, nempe gallos gallinaceos, pauones & fasanos.

Sen. ep. 47.

Seneca ad Lucilium ita scribit. *Quemadmodum stultus est, qui equum empturus non ipsum inspicit, sed stratum eius ac frenos, sic stultissimus est, qui hominem aut ex veste, aut ex conditione, quæ vestis modo nobis circumdata est aestimat.*

Hier. ep. 7.

VI. REMEDIUM. Considera exempla eorum, qui ob luxum diuinitus sunt puniti. Hieronymus ad Latam. *Prætextata quondam nobilissima femina, iubente viro Hymetio, qui patruus Eustochii virginis fuit, habitum eius cultumque mutauit, & neglectum crinem mundicia more pexuit, vincere cupiens & virginis propositum, & matris desiderium. & ecce tibi eadem nocte cernit in somnis venisse ad se Angelum terribili vocem minitantem pœnas, & hæc verba frangentem. Tunc ausas viri imperium præferre CHRISTO? Tu caput virginis DEI tuis sacrilegis atrectarum manibus, quæ iam nunc arefcent, ut sentias excruciatam quid feceris: & finis mense quinto ad inferna duceris. Sin autem perseueraueris in scelere, & marito simul orbaberis & filiis. Omnia per ordinem explet a sunt, & seram misera pœnitentiam velox signauit interitus. Sic viciscitur CHRISTVS*

P. Dam. ep. 16. l. 5.

*violatores templi sui, sic gemmas & pretiosissima ornamenta defendit. Petrus Damianus Cardinalis epistola ad Landolphum. Memini plane, cum apud Parmense opidum liberalium artium studiis docendus inisterem, clericus quidam nomine Teucolinus pellicem suam iuxta meum habebat hospitium, aspectu lubricam & inhonestam satis, decore venustam. Hic nitidus, & semper ornatus atq; conspicuus incedebat: ita ut caput eius, nunquam nisi gabelica pellis obtegeret, indumenta carbasina atque niuentia fuligo per artem fullonis inficeret: calceus postremo ad aquili in rostro speciem non falleret. Affluebat ubique deliciis, rugiebant ora flammantia guttidie cachinnis atque ludibriis, oculorum nutibus, ac scurrilitatis illecebri festini applaudebant. Hi cum per quinque fere annorum lustra in hac luxuriosa voluptate vixissent ante annum, cum commune ipsius ciuitatis flagraret incendium in vna domo reperti utrique simul igne consumpti sunt.*

Cantipr. c. 7. p. 8.

THOMAS Cantipratanus libro primo Apitani. Scio & certus sum, quod etiam in secularibus & nobilibus personis pompa glorie secularis notabiliter reprehensa sit & damnata. Prope enim nostra tempora fuit mulier nobilissima, Maria Campana Comitissa, hæc nupta nobilissima

Henricus

Henrico Campania comiti, filia fuit Ludouici pii regis Francorum, Philippi regis soror aequè regis Fræcorum. Hac multis annis mortuo marito cum pomposissima ambitione circueiens & moriens talem finem sortita est. Laborans hac in extremis, Abbatem Persania sanctissimum ac eloquentissimum virum, migratura, venire mandauit. Qui ut venit intromissus non est, & præ foribus expectauit. Iam enim Comitissa decesserat, & distrahebantur à militibus, & ministris, & suis omnibus utensilia, vasa aurea & argentea, vestes pretiosæ, culcitrag, purpureæ, & tandem linreamina ipsa cum peplis. Extremo quidam ex garsonibus mora nimia retardatus lectum per cornua comprehendit, & resupinatum corpus emortuum eminus in stramenta deuoluit. Moras autem Abbate cum radio susinente, quidam nobilis ex circumstantibus indignatus ostium violenter infregit, & virum venerabilem intromisit. Qui cum introisset, & nobile illud corpus nudum in stramine reperisset, volente quodam ex familia illud straminibus operire, Abbas exempli prouidus non sinebat, sed libera voce clamabat. O vos omnes, venite, cernite pompam nobilissimæ Comitissæ Mariæ. Videte illud delicatissimum corpus, quanto dedecore pudoris deuolutum est. Videte quid ei pro multiplici honore & gloria mundus finaliter exsoluit. *Humbert. in c.*  
 Humbertus quintus ordinis Prædicatorum Generalis Magister in, *70.*  
 Regulam S. Augustini scribens. Contigit, inquit, Parisiis, ut quidam Magister Theologia secularis predicaret in Vniuersitate indutus optima veste, vel cappa noua in principio hyemis. Cum autem tenuiter imprimeret verba sua in cordibus auditorum, quidam fatuus, qui erat in medio scholarium, surrexit & dixit. Tace tu, illa vestis pretiosa, quam habes, non permittit te audacter dicere veritatem, qua res fecit ei miserabilem confusionem. Debent ergo, qui debent mundi predicare contemptum, cauere, ne in suo habitu appareat aliquid quod gloriam mundi pratendat.

VII. REMEDIUM. Considera causas cur luxus vestium sit meritò detestandus. Prima causa est, quia vestitus est signum & monumentum inobedienciæ & præuaricationis nostræ in Adamo protoplasto: nullus ergo iure potest gloriari in vestitu, sicut nullus certè sur gloriatur de stigmate ob furtum fronti iniusto. Vnde B. Chryostomus in Genesim. *Chryf. hom. 21*  
 Iussit Dominus primos parentes togis pellicis vestiri in perpetuam memoriam, quod inobedientes fuerimus Domin. Audiant opulenti, & qui luxuriant in vermium operibus, & vestiuntur sericis, discant quomodo ab initio humanam naturam misericors Dominus docuerit. Altera causa est, quia eo ostendimus, quam parum memores sumus antiqui illius oraculi *ἡδὲ σαυτῶν*, tantopere laudati, ut acutè denotauit B. Basilius in homilia de legendis libris gentilium. *Baf. hom. 24.*  
 Omne namq, studium, inquit, adhibere, ut quod extra fuerit, benè pulchreq, colatur & appareat.

pareat, se se cognoscentis non erit, neq; sapiens illud præceptum intelligenti nos admonens, quemadmodum non id quod aspiciunt, est h. mo. Excellentissimi quidam opus est sapientia, per quam nostrum quilibet, quicumq; sit, se cognoscat: quæ profecto mente minimè purgatis non magis euenire potest, quàm lippienti solem aspiceret. Quid autem sit, quod luxu vestium gaudens non cognoscat, est corpus suum. Quid enim est corpus nostrum, nisi sacculus stercoreum, cloaca sordium, cibus vermium, nisi stagnum, infra supraq; fœtores exhalans? Quare Andreas S. Bernharti frater cum aliquando amborum soror exquisito culta ornatu ad fores monasterij Claraualensis venire ausa fuisset, eam *stercus inuolutum* appellauit. Quo conuitio illa percussa tandem & cultui & mundo simonialis facta renunciauit. Ita scribit Guilielmus de bona valle in

Surius in Augu-  
20.

Bernard l. 3. de  
confid.

Eccli. 19. 27.

Tim. 2. 10.

D. Bernardi vita. Tertia causa est, quia vestium curiositas, vt supra dixit B. Bern. deformitatis mentium & peruersorum morum indicium est, in primis superbiam, vanam gloriæ, luxuriæ, & causa scandali aliorum. Vnde Sapiens. *Amictus, inquit, corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enunciant de eo.* Et Apostolus dum pretiosas vestes mulieribus interdixisset, subiicit. *Sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona.* quid enim sobriè vestita aliud promittit, quam castitatem? compra verò aliud, quàm impudicitiam? S. Hier. in Epitaphio Paulæ Romanæ, sic de ea scribit. *Si vidisset feminam aliquam comptiorem contractione frontis & vultus tristitia arguebat errantem, dicens:*

Hier. epi. 27. ad  
Eustoch.

Clem. l. 3. c. 11.

Cyprian.

*munditiam corporis atq; vestitus anime esse immunditiam.* Clemens Alexandrinus in pædagogo. *Ea, inquit, quæ à feminis ad luxum comparantur ab eis tanquam penne detrahende sunt, vt quæ instabilem superbiam & molliciem immanesq; voluptates procreent.* Cyprianus de habitu virginum. *Si tu te sumptuosius comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te iuuentutis illicitas, suspiria adolescentum post te trahas, concupiscendi libidinem nutrias, peccandi fomenta succendas, vt & si ipsa non pereas, alius tamen perdas, & velut gladium te & venenum videntibus præbeas, excusari non potes, quasi mente casta sis & pudica. Redarguit te cultus improbi & impudicus ornatus.* Chryl. in Genesin. *Hoc studium in ornando corpore ternam indicat deformitatem, & huius delicia illius manifestam faciunt famem, & huius vestium sumptus illius indicat nuditatem. Impossibile est enim aliquam agere curam anime, & tanti facere corporis pulchritudinem & ornatum: sicut & impossibile in externo illo cultu tantopere occupatum illius agere curam. Quomodo enim posset anima talis aliquid vtile contemplari, sed in cogitationem spiritualium venire, quæ semel terrenis ita dedita capiti est, & humi, vt ita dicam, trahitur, & nunquam renuere potest, & obstrigata innumeris peccatorum sarcinis seipsam grauatur? Sed neq; gentilibus causa*

Chryl. hom. 97.

*hæc igno-*

hæc ignota fuerit. Nam apud Suetonium celebratur hoc Augusti <sup>Sueton. c. 2.</sup>  
 Cæsaris dictum. *Vestitus insignis ac mollis superbia vexillum est, nudusq; lu-*  
*xuria.* Quarta & postrema causa est, quod cultu hoc corporis mu- <sup>Terent. in He-</sup>  
 lieres imprimis, maximam faciant iacturam temperis, de quibus iam <sup>aur.</sup>  
 olim Comicus. *Dum poliuntur, dum comuntur, annus est,* Earum mores  
 graphicè depingit Clemens Alexandrinus libro tertio pædagogi. <sup>Clemen. c. 2.</sup>  
 Socrat. in historia Ecclesiastica de Pambone eremita Alexandriam <sup>Sobr. lib. 4. c. 18.</sup>  
 ab Athanasio accersito scribit. *Cum ibi videret mulierem in pompa sum-*  
*ptuosius, exquisitiusq; ornatam, quo homines ad se spectandam, inuitaret, la-*  
*crymas profudisse. Atq; quibusdam ex illis, qui aderant rogantibus, quid esset*  
*causa cur lacrymaret, respondisse se duabus rebus fuisse commotum. Vna,*  
*quod mulierem videret sibi exitium parare: altera, quod ipse non tanta cu-*  
*ra ac studio ad placendum Deo, quanto illa ad hominibus flagitiosis blan-*  
*diendum incumberet.* In vita quoq; S. Pelagiæ, quæ est apud Surium, <sup>Sur. in Octob.</sup>  
 legimus Nonnum Episcopum Heliopolitanum *Pelagiam meretrici-*  
*cem gemmis margaritisq; fulgentem, cum forte eam in via publica obviam*  
*habuisset, defixis oculis intuiam & ad circumstantes Episcopos dixisse. Quot*  
*putatis horas hæc in comendo corpore consumpsit, ut hominum placeat oculis,*  
*& quantulum temporis nos impendimus, ut Deo placeamus? ac mox in mul-*  
*tas lacrymas solutum, à Deo obtinere meruisse eius conversionem exitu vitæ*  
*sanctissimo conclusam.*

VIII. REMED. Considera quàm asperè inuehantur SS. Patres in  
 fucatum & commentitium corporis ornatum. Clemens Alexandri- <sup>Clem. lib. 3. c. 1</sup>  
 nus in pædago. *Sicut cui impostum est cataplasma, & cui inuncti sunt*  
*oculi, vel ipso aspectu prebet morbi suspicionem, ita fuci, tincturæ & orna-*  
*tus affectatus animam intrinsecus egrotare significant.* Tertullianus de  
 cultu feminarum. *In Dominum delinquunt, que cutem medicaminibus*  
*ungunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt. Displicet illis ni-*  
*mirum plastica Dei: in ipsis redarguunt, reprehendunt artificem omnium.*  
*Reprehendunt enim cum emendant, cum adiciunt, utiq; ab aduersario artifi-*  
*ce sumentes additamenta ista, id est, diabolo. Et paulò post. Quam indignum*  
*nomine Christiano, faciem sceleratam gestare, quibus simplicitas omnis indicitur:*  
*effugiem mentiri quibus lingua non licet, appetere quod datum non sit, quibus*  
*alienum abstinentum, speciem exercere quibus studium pudicitie est? Video*  
*quasdam & capillum croco vertere, pudet eas etiam nationis suæ quod non*  
*germane, aut Gallie sint procreate, ita patriam capillo transferunt. Cy-*  
 prianus de habitu Virginis. *Nec Deus aut purpureas, aut coccineas ones <sup>Cyprian.</sup>*  
*fecit, nec margaritis contexta serica, & numerosa compage digestis monilia*  
*DEVS instituit, quibus ceruicem, quam fecit, absconderet: & operiatur il-*  
*lud, quod Deus in homine formauit, & conspiciatur desuper id, quod dia-*  
 bolus ad-

bolus adinuenit. An vulnera inferri auribus Deus voluit, quibus & innocenti  
adhuc infantia, & mali secularis ignara crucietur, ut postea de aurium cura  
triticibus & cauernis pretiosa grana dependeant? Etrussum. Quod ornari  
putas, quod putas comi, impugnatio est ista diuini operis, prauaricatio veri-  
tatis. Non metuis oro, que talis es, ne cum resurrectionis venerit dies, artifice  
tuus te non cognoscat? ne dicat, hoc opus meum non est; & hac imago nostra  
non est. Cutem falso medicamine polluisti, crinem adulterino colore mu-  
sti, expugnata est mendacio facies, figura corrupta est, cultus alienus.  
Deum videre non poteris, cum oculi tibi non sint, quos DEVS fecit, sed quos  
diabolus infecit. Gregor. Nazianzenus in oratione aduersus mulieres  
ambitiose se ornantes. Enimvero quis primus Dei figmentum illucere eg-  
gressus est? Pereat, quisquis ille fuit, qui primus coloribus atq; pigmentis im-  
pudentiam adiunxit. Vt enim impudentes vrinatores, virorumq; nomen  
indigni, larua primum faciem tegunt, atq; ita deinde sequuntur, qua vbi-  
nesta rei conueniunt salutationes videlicet, ac turpis membrorum solutio ho-  
minibus gratissima: ad eundem modum haec quoq; postquam alienam  
formam externe induerint, ita demum ut picta illa & fucata forma dignum  
est, mouentur. Ambr. de Virginibus. Hinc illa nascuntur incensura viti-  
orum, ut quaesitis coloribus ora depingant, dum viris displicere formidant; &  
de adulterio vultus meditentur adulterium castitatis. Quanta haec amentia,  
effigiem mutare natura, picturam querere, & dum verentur mariti iudi-  
cium, prodere suum? Et paulo post. Hinc pretiosa collo dependent monilia  
inde per humum vestis trahitur aurata. Emitur igitur hac species, an habet-  
tur? Quid quod etiam odorum variae adhibentur illecebrae? Gemmis onerantur  
aures, oculis color alter infunditur. Quid ibi remanet suum, ubi tam  
multa mutantur? Sensus suos amittit mulier, & vivere posse se credit.

Chryl. hom. 50. Chryl. in Matthaeum. Quantum vobis dedecus esse putatis, cum serica bo-  
cia calceamentis vestris, que nec vestibus quidem vir probus unquam subter-  
xerit, diligenter inseritis, quantis hoc dignum cachinnis arbitramur? Quid  
si huic nostra sententia non acquiescitis, audiat Paulum, quanta hac cum  
crimonia reprehendat, & autoritate ipsius turpitudinem rei cognoscite. Quid  
igitur hac de re Paulus scribit. Non implicationibus, inquit, auri, aut ma-  
garitarum, nec vestimento pretioso. Quam igitur veniam habere poteris,  
cum neq; uxori tuae, iubente Paulo, pretiosa vestes permittantur, tu calceum  
luxuriosissime polias, ac ita construas, ut nimium attentus ad ridiculosa de-  
decora esse videaris. Nonne vides naues fabricari, eligi remiges, vela danti-  
ventis, maria nauigari, ac mercatores patria & liberis relictis, ac vita con-  
tempta & fluctibus commissa ad extremas Barbarorum partes mille pericu-  
lis peruenire propter serica haec licia, ut tu scilicet calceis tuis ipsa infaris,  
quibus te ornatiorem esse putes? Dic, quid hac curialitate amentius?

VIDE V.

Greg. Naz.

Ambr. lib. 1.

Chryl. hom. 50.

1. Tim. 1.

VIDE V. Ambitio. Amor sui. Curiositas. Exemplum malum. Gloria  
vana. Immodestia. Luxuria. Superbia. Voluptas carnis.

VINDICATIO INIVRIÆ.

Remedia contra Vindicationem Iniuriæ.

**I** REMED. Considera quid Spiritus sanctus in verbo suo de hoc ar-  
gumento patefecerit. Ac primo quidem prohibet omnem vin-  
dicationem iniuriæ, vt in Leuitico. *Non queras vltionem, nec memor e-* Leu. 19. 18.  
*ris iniuria ciuitum.* Et in Prouerbijs. *Ne dicas, reddam malum, expecta Do-* Prou. 20. 22.  
*minum, & liberabit te.* Et in Epistola ad Romanos. *Benedicite persequen-* Rom. 12. 17.  
*tibus vos, benedicite, & nolite maledicere, nulli malum pro malo reddentes:*  
*sed si esurierit inimicus tuus ciba illum: si sitit potum da illi.* Et in priore. Theff. 5. 15.  
ad Theffalonicenses. *Patientes estote ad omnes. Videte, ne quis malum*  
*pro malo alicui reddat, sed semper, quod bonum est, sectamini in inuicem, &*  
*in omnes.* 2. monet Deo relinquendam omnium iniuriarum vltio-  
nem. Nam in Deuteronomio vox Dei est. *Mea est vltio, & ego retribuã.* Deut. 32. 35.  
Quod citat Apostolus. *Non vosmetipsos, inquit, defendentes carissimi,* Rom. 12. 19.  
*sed date locum ira. Scriptum est enim. Mihi vindictam, & ego retribuam, di-*  
*cit Dominus.* Et apud Lucam Christus. *Deus non faciet vindictam electo-* Luc. 18. 7.  
*rum suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis?*  
*Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum.* 3. laudat mites, & pacifi-  
cos, contra verò reprehendit impatientes. Nam apud B. Matthæum Matth. 5. 4.  
Christus Dominus, beatos prædicat mites, pacificos, & qui persecu- Matth. 21. 29.  
tionibus & maledictionibus perpetuantur, deinde ait. *Discite a me, quia mi-*  
*tis sum & humilis corde.* Et B. Petrus. *Quæ est gloria, si peccantes & cola-* 1. Petr. 2. 20.  
*phizati sufferitis, sed si benefacientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud*  
*Deum.* Et Ecclesiasticus. *Vobis, qui perdididerunt sustentiam.* Eccle. 2. 16.

**II** REM. Considera priscorum Patrum sententias. S. Cypr. *Quo* Cypr. de bono  
*niam plurimos scio, fratres dilectissimi, vel pondere iniuriarum ingentium,* patient.  
*vel dolore de his, qui aduersum se grassantur & scuiunt, vindicare velociter*  
*cupere, nec illud reticendum est, vt in istis fluctuantis mundi turbinibus con-*  
*stituti patienter expectemus vltionis diem, nec ad vindictã doloris nostri que-*  
*rula festinatione properemus, cum scriptum sit. Expecta me, dicit Dominus, in*  
*diem resurrectionis meæ in testimonium, quoniam iudicium meum est ad con-*  
*gregationes gentium, vt excipiam Reges, & effundam super eos iram meã.*  
Sic Greg. Nazianz. in Iulianum. *Proinde ne iram pro iniuriæ modo repen-* Naz. orat. 2.  
*di velimus, nec pro criminum atrocitate satis graues vindices nos prebeamus:*  
*quin potius, quoniam pœnas omnes, quas merentur, expetere non possimus,*

ZZZ

omnes

omnes condonemus. Hoc nomine q̄s, à quibus iniurias accepimus, sublimiores simus. ostendamus quid illos demones doceant, quid rursus Christus m̄ erudiat, qui ex eo victoriam reportauit, quod in vlciscendi potestate uictoriam non regeffit. S. Ambr. ad Ecclesiam Vercellensem. Non hac sola forma iustitiæ. ut non ledas eum, qui te non laferit, sed etiam illa, ut etiam remittas, qui laferit. Ladimur plerumq; fraude alterius, dolo proximi. Non quid hoc virtutis putamus, ut dolum dolo vlciscamur, fraudem referamus fraudibus? Nihil autem interest, cui male facias: utrum iusto, an iniusto, cum te malefacere non oporteat. Neg; distat, quomodo malignus sis, utrum vlciscendi studio, an voto nocendi, cum malignitas in utroq; genere nocereat reprehensione. S. Basilius, de ira & inimicitijs. Maxima reprehensione dignus est homo Christianus, quod sit procliuus ad vindicationem: quod omnibus modis cogit et quam ratione eos vlcisci queat, qui se iniuriati referunt. Quomodo enim ille alium docebit, ne malum pro malo recipiat, qui omnia facit vindictæ causa, & qui omnibus viribus studet, ut vicissim et ipsi sibi iniuriam imposuit, mœsticiam inferat? Talis equidem imitatione mœsticitatem lenitatem Davidis, qui dicit. Si reddidi retribuētibus mihi mala, quidam merito ab inimicis meis inanis. S. Hier. ad Demetriadem. Ira facti hominis est, & in iuriam non facere Christiani. Chryl. in Genesim. Neq; iniurias illatas vindicare cupiamus, neq; hostiliter in proximum affecti simus. Nihil enim omnium DEVS ita odit & auersatur, ut hominem vltionis acerbis & in animo suo perpetuas seruantes inimicitias. Tantum enim eius peccatum damnatum est, ut misericordiam Dei reuocet, nec locum habere sinat. Et mox fusè id probat ex Euangelica parabola, vbi 10. millium tal. debitor remissionem omnium consecutus est; sed postea in carcerem compactus, quod conseruo 100. denarios debenti misereri noluit. Cuius parabola Christus mox subdit. Sic & Pater meus celestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisq; fratri suo de cordibus vestris. S. Aug. de sermone Domini in monte expendens tria iniuriæ exempla à Christo posita: quorum primum est. Si quis te percusserit in vna maxilla. 2. si quis tunicam tuam tollere voluerit. 3. Si quis te mille passus argariauerit. In his, inquit, sanè generibus trium exemplorum nullam generatim iniuria prætermisum esse video. Namq; omnia, in quibus improbitatem aliquam patimur, in duo genera diuiduntur: quorum alterum est, quod restitui non potest: alterum quod potest. Sed in illo, quod restitui non potest, vltio et solatium quari solet. Quid enim prodest, quod percussus repercutatur? Quod quid propterea aliquid, quod in corpore laesum est restituetur in integritate? Tumidus animus talia fomenta desiderat. Sanum autem firmiter, ista non mouat, quin potius misericorditer perferendam alterius infirmitatem indicat.

Amb. ep. 2. l. 10.

Bas. orat. 9.

Psal. 7. 5.  
Hier. ep. 8.

Chryl. hom. 27.

Matth. 18. 23.

verf. 35.  
Aug. lib. 7. c. 36.  
& 37.

Matth. 5.



quam alieno supplicio suam mitigandam, quae nulla est. Neque hic ea vindicta prohibetur, quae ad correptionem valet, etiam ipsa enim pertinet ad misericordiam. S. Greg. in Euangelia. Sciendum est, quod tribus modis virtus patientiae exerceri solet. Alia namque sunt, quae à Deo: alia quae ab antiquo aduersario, alia quae à proximo suslinemus. A proximo namque, persecutiones, damna & contumelias: ab antiquo verò aduersario tentamenta: à Deo autem flagella toleramus. Sed in his omnibus tribus modis vigilantem oculo semetipsam debet mens circumspicere: ne contra mala proximi pertrahatur ad retributionem mali: ne contra tentamenta aduersarii seducatur ad delectationem vel consensum delicti: ne contra flagella opificis ad excessum prorat murmurationis.

Greg. homil. 37.

III. REMED. Considera Ethnicorum Philosophorum sententias. Seneca in libris de Ira. Non ut in beneficijs honestum est merita meritis repensare, ita iniurias iniuriis. Illic vinci, turpe est: hic vincere inhumanum verbum est, & quidem pro iusto receptum ultio. Qui dolorem regerit, tantum excusatus peccat. M. Catonem in balneo quidam percussit imprudens. Quis enim illi faceret iniuriam? Postea satisfaciens Cato. Non memini, inquit, percussum me. Melius putavit, non agnoscere, quam ignoscere. Nihil, inquit, illi post tantam petulantiam mali factum est? imò multum boni. capit Catonem nosse. Magni animi est, iniurias despiciere. Et infra. Pusilli hominis & miseri est, repetere mordentem, ut mures & formica: ad quas, si manuum admoueris, ora conuertunt. Imbecilla se laedi putant, si tanguntur. Et in consolatione ad Heluiam. Ducebatur Athenis ad supplicium Aristides: cui quisquis occurrebat, deiecit oculos, & ingemiscebat, non tanquam in hominem iniustum, sed tanquam in ipsam iustitiam animaduertetur. Inuentus est tamen, qui faciem eius inspueret. Poterat ob hoc moleste ferre, quod sciebat reminem id ausurum puri oris. At ille absterxit faciem, & subridens ait comitanti se magistratui. Admone istum, ne postea tam improbe offendet. Hoc fuit contumelie ipsi contumeliam facere. Et in Epistola ad Lucilium. Iniuriarum remedium est obliuio. Augustinus ad Marcellinum.

Sen. lib. 2.

Id. epist. 94.

Aug. epist. 5.

Quomodo poterant (Romani) gubernare atque auertere Rempublicam, quam ex parua & inopi magnam opulentiam fecerunt, qui accepta iniuria ignoscere, quam persequi malebant? Quomodo Casari administratori utique Reipublicae mores eius extollens Cicero dicebat, quod nihil obliuisci soleret, nisi iniurias. Dicebat enim hoc tam magnus laudator, aut tam magnus adulator. Sed si laudator, talem Casarem nouerat. Si autem adulator, talem esse debere ostendebat Principem ciuitatis, qualem illum fallaciter predicabat. Basilus de legendis libris gentilium. Homo quidam in fore Periclem probris omnibus inceffebat: is autem minime curare visus toto fere die sustinuit. Deinde vespertiam discedentem cum lumine comitatus est, ne quid in philosophia

In orat. pro Q. Ligar.

Basil. hom. 24.

studio admitteret. Rursus quidam Euclidi Megarensi animo conciliatum mer-  
tem se iuravit, illaturum. Ille verò contrà, se patienter lataturum iuravit,  
& ei quamvis infesto se conciliatum iri. Quidam vehementi impetu Socratis  
faciem cecidit, hic autem minimè commotus furentem debacchari, & non  
satiare permisit, ex quo cum totum ex plagis tumidum, ac contusum reddidit.  
Vbi verò ille cadendo destitit, nihil aliud Socrates fecisse dicitur, quam frons  
propria inscripsisse. Talis fecit, velut statuæ cuidam auctoris nomen, & eo mo-  
do se vindicasse. Quæ omnia profecto nostris congruentia videntur, ac ma-  
gnopere imitanda censerem. Nam Socratis hoc germanum est illi præcepto,  
quod maxillam verberanti, & alteram præbere iubet. Illud verò Periclitus, ad  
Euclidis, simile illi quod persequentes sustinere, ac mansuetè illorum iras re-  
lerare, & inimicis etiam bona precari doceat.

Matth. 5. 11.

Matth. 5. 12.

verf. 12.

verf. 23.

Matth. 6. 25.

Matth. 12. 35.

Matth. 5. 44.

Matth. 6. 7.

Matth. 5. 48.

Basil. orat. 9. de  
ira.

IV. REMED. Considera, quam seriò, accuratè & sæpè, cum alibi  
tum maxime apud B. Marthæum c. 5. & 6. hanc de non vindicanda  
iniuria doctrinam Christus nobis inculcet. Primo enim beatos pro-  
nunciat eos, qui iniquè contumeliis appetuntur, gaudereq; & exul-  
tare iubet ob copiosam mercedem illis paratam in cælis. 2. commi-  
natione iudicij & gehennæ deterret ab illatione iniuriæ, ira scilicet  
& verbis probrosis. 3. iniuriam facienti negat aditum ad altare iustis,  
sacramentorumq; beneficium, nisi prius reconciliatus fuerit fratri.  
4. nec vult à se gratiam, vel remissionem peccatorum postulari in o-  
ratione Dominica, nisi prius fratri remissa sit iniuria idq; ex corde, ut  
est in clausula parabola Matthæi 8: 5. vult, ut vna iniuria accepta  
parati simus ad maiorem v. c. caesa vna maxilla, ad obuertendam a-  
liam: tunica vi erepta, ad offerendum & pallium, quando ita glo-  
ria Dei, caritasue postulat. 6. ut auctorem iniuriæ licet inimicum,  
diligas, idque non verbis sed factis, nempe orando pro illo, &  
benefaciendo, non secus quam Deus nos diligit, pliendo super  
iustos & iniustos. 7. id facias, nec tui commodi, nec gloriæ hu-  
manæ, more Ethnicorum captandæ causâ, sed propter Dei glo-  
riam, & animæ salutem: alioquin, inquit, mercedem non habebi-  
tis apud Patrem vestrum, qui in cælis est. 8. indicat hoc ad perfectio-  
nem suæ doctrinæ & Christianæ religionis imprimis pertinere, nam  
concludit. *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus  
est.* Quam perfectionem considerans Sanctus Basilius alicubi ita  
scripsit. *Quale enim spectaculum, quam grave & admirandum, ac sa-  
ne nonnihil etiam ipsam naturam humanam exuperans hominem multum  
conuictis iactatum, & qui etiam fortassis vulnus in facie accepit, qui 4.  
alia sexcenta perpeffus est, quæ & verbis, & re ipsa ad extremam infamiam  
tendunt non ira incendi, neque vltionem parare, sed mansuetum pro eo,  
qui sibi*

qui sibi iniuriam intulit, preces adhibere. Ita ut ex eo, quod preces accelerasset, & venia delicto data sit, & ipse post decenti à Deo cura dignus sit habitus.

Et B. Augustinus libro primo de sermone Domini in monte perpendens quanta perfectio sit hominis Christiani, qui percutienti vnam maxillam, paratus sit præbere & alteram, hoc est grauiorem sustinere iniuriam, tandem concludit, nihil innocentius esse eo, qui in virtute perfectus est. Aug. c. 14.

V. REMED. Considera hoc Christi præceptum de non vindicando non esse obseruatu impossibile, ut quidam dicunt, sed potius facile, & ob multas eius vtilitates rationi naturali prorsus consentaneum. Vnde Basilus in regulis breuioribus. Sine dubio, inquit, Deus non præcepisset diligere inimicum nisi facultatem largitus fuisset id faciendi. Bas. q. 176.

Quam quidem etiam in natura insitam videri voluit. Bene enim de se meritos etiam bestia naturaliter diligunt. At maius nobis non potest contingere beneficium, quam quod ab inimicis nobis datur, nempe ut beatitudinem assequamur, Beati, inquit Dominus, estis, cum maledixerint vobis, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes, propter me: gaudete & exultate, Matth. 5. 11.

quoniam merces vestra copiosa est in calis. Et Chry. ad populum Antiochænum. Si malum esset iniuriam pati, non id Deus nobis præcepisset: nam Deus mala non præcipit. An non scitis, quod ipse Deus est gloria, nec confusione nos & derisione, damnosque voluerit inuoluere? Sed graue est iniuriam pati & calumniam. Non est graue, non est o homo. Quousque circa presentia stupidus heres: Nec enim id Deus insituiisset, si graue foret. Chry. hom. 78.

Animaduerte verò: qui fecit iniuriam, ab illi habet quidem pecunias, sed & conscientiam percussam: læsus autem, pecuniis quidem priuatus, habens autem apud Deum fiduciam, possessionem innumeris digniorem thesauris. Et paulo post. Calumniam sum passus, & iubes ferre æquanimiter: & quomodo potero? Facillimè profecto, si tantum in calum respicias, si spectes hanc pulchritudinem, & quote Deus suscipere promisit, iniuriam generosè ferentem. Aug. ser. 6. de Temp.

Et B. Aug. Sed dicit aliquis. Nulla ratione possum inimicos meos diligere. In omnibus scripturis Deus tibi dicit, quia potes. Tu è contrario respondes, non posse. Considera nunc, utrum tibi, an Deo debeat credi. Et ideo, quia veritas mentiri non potest, iam vanas excusationes suas relinquat humana fragilitas, quia nec impossibile aliquid potuit imperare, quia iustus est, nec damnaturus est hominem pro eo, quod non potuit vitare, quia pius est. Quid tergiversamur incassum? Nemo enim, quantum possumus melius nouit, quam qui nobis ipsum posse donauit. Tot mulieres, clerici, pueri, tanta & tam delicate puella flammæ & ignes, & bestias æquanimiter pertulerunt, & nos stuliorum hominum conuitia dicimus tolerare non posse, quæ nobis malorum hominum nequitia inferuntur. si possumus, etiam usque ad mortem illorum nostras iniurias

Id. serm. 5. de  
sanctis.  
Matth. 5. 44.

vindicamus. Vnde nescio qua fronte, vel qua conscientia cum omnibus sanctis in aeterna beatitudine partem habere desideramus, quorum exempla sequi in rebus minimis non acquiescimus. Et rursum. Sed dicit aliquis Grandis labor est, inimicos diligere pro persecutoribus supplicare. Nec nos negamus fratres, non paruus quidem labor est in hoc saeculo, sed grande erit premium in futuro. Per amorem enim hominis inimici, efficiaris amicus Dei: imò non solum amicus, sed etiam filius, sicut ipse Dominus dixit. Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, ut sitis filij patris vestri, qui in caelis est. Si te aliquis homo dives in hoc saeculo vellet adoptivum filium facere, quomodo seriores, quas ei dignitates impenderes, & seruorum eiusq; seruitia durissima, & aliquoties etiam turpissima sustineres conuitia. ut ad caducam & fragilem eius hereditatem peruenires. Quod ergo ille sustinet propter substantiam terrenam, tu sustine propter vitam aeternam. Conuincimur enim certissima ratione, quia propter Deum possumus quidem, sed volumus iniuriam sustinere. Denique si nobis aliqua potens persona iniuriam facit, si nos etiam in faciem maledicit, nec respondere aliquid asperum, non dicam vicem reddere, ausi sumus. Quare hoc? ne ab illa persona potente adhuc maiora quam pertulimus, patiamur. Quod à nobis torquet hominis timor, deberet à nobis exigere Christi amor.

VI. REMED. Considera utilitates huius praecepti. Prima est, quia patientia mitigat iram iniuriam inferentis, secundum illud Sapientis. Responsio mollis frangit iram. Et Lingua mollis confringit duritiam. Sicut enim ignis materiã subtracta extinguitur, ita maledicentis ira alterius patientia compescitur. Vnde B. Paulus. Vince, inquit, in bono malum. Hoc enim factens, carbones ignis congeres super caput eius, hoc est, caritatis ignem in eo excitabis, & ex inimico amicum facies. Exemplum habemus Ioannis Eleemozynarii Patriarchae Alexandrini, cui cum consanguineus iuuenis quaestus esset de grauibus iniuriis à caupone sibi illatis, fingens se commoueri, respondit, se facturum rem, quam tota Alexandria miretur. Moxq; vocato ad se vectigalium magistro, ei iubet ut nihil amplius vectigalis à caupone exigeret. Quod factum non solum tota Alexandria suspexit, sed etiam caupo deinceps antistitem cum suo cognato omni officio coluit. II. Utilitas est, quod hac modestia tollatur occasio maioris turbationis & bellorum. Si respondeas maledico, inquit S. Amb. lib. 1. officiorum, superiorem se arbitrabitur, quia parem inuenit. Et Chryl. sermone de mansuetudine. Quisquis furibundos vincere voluerit, fortiter ferat iniurias & verbera magnamq; eius qui verberibus in se sauebat conuersionem videbit. At si etiam ipse ab ira vinceris, studens inimicum pari insania ulcisci, nullus vquam irarum pugnarumq; erit finis: sed semper, qui insaniunt & rabidi sunt, & vincere alios

Prou. 15. 1. & 25.  
25.

Rom. 12. 11.

Apud Sur. tom.  
2.

Amb. c. 1.

*cere alios conuitiis & verberibus cogitant in immensum bellum & pugnam  
 erumpunt, mutuo insidiantur, calumnias struunt, peierare audent, & accu-  
 sationes meditantur eorum, quæ neq; viderunt, neq; audierunt, & in die qui-  
 dem, sicut canes rabidi & quærentes inimicum: noctem autem cogitando in-  
 sumentes, quomodo malum aliquod machinentur. Vnde apud B. Aug. in li-  
 bris de ciuitate Dei, quod etiam habet Salustius in Catilinario, le-  
 gimus Romanorum Rempubliam ignoscendo potius, quam perse-  
 quendo hostium iniurias creuisse; Romanos, inquit, ipsos videamus,  
 ipsos, inquam, recolamus, respiciamusq; Romanos, de quorum præcipua laude  
 dictum est. Parcere subiectis, & debellare superbos: & quod accepta iniuria  
 ignoscere malebant, quam persequi. Causam autem alibi huius rei reddit  
 hanc, quod qui ignoscit iniuriis, autor est concordia, quæ ciuitates  
 constituuntur & conseruantur, qui verò eas persequitur, sit causa di-  
 scordia. Accusatur, inquit, religio Christiana tanquam inimica Reipub.  
 Quæ si, vt dignum est audiretur. (præcipiente autoritate diuina non reddend-  
 dum malum pro malo) longè melius Romulo, Numa, Bruto, ceterisq; illis Ro-  
 manæ gentis præclaris viris constitueret, consecraret, firmaret, augetetq; Rem-  
 pub. Quid enim est Respubl. nisi res populi? res ergo communis, res vtq; ciui-  
 tatis. Quid est autem ciuitas, nisi multitudo hominum in quoddam vincu-  
 lum redacta concordia? III. Vtilitas est, quia nihil æquè ædificat proxi-  
 mum, atq; iniuriarum tolerantia. Exemplo sit quod narrat Sophro-  
 nius in Prato spirituali. Duo senes monachi cum fratre vno iter agentes, &  
 à via aberrantes inter sata inuenti sunt. Quo conspecto agricola cepit in illos  
 multa maledicta euomere, ex ira dicens. Vos estis monachi: vos timetis Deum?  
 Si timorem Dei haberetis, sata non conculcassetis. Tunc senior dixit sociis. Per  
 Dominum nullus ei respondeat, conuersusq; ad illum dixit. Rectè dixisti, fili mi.  
 Ille verò furens, rursus impetebat eos contumeliis. Tum senior. Vera dicis  
 fili, nam si veri monachi essemus, ista non egissemus. Sed per Dominum  
 indulge nobis, quia peccauimus. Stupefactus ergo ille ad tantam sentis  
 humilitatem prostravit se ad pedes eius, dicens. Peccaui, indulge mihi, &  
 per Dominum assumite me vobiscum. Rusticus ergo secutus illos, accepit ha-  
 bitum. IV. Vtilitas est, quia sic amoliris a te notam impotentis,  
 imò muliebris animi. Muliebre enim est conuictum conuictio mox  
 repellere. Qui cito mouetur iniuria, ait B. Amb. facit se indignum videri con-  
 tumelia, dum vult indignus videri. Aristoteles, teste Aeliano, Ale-  
 xandro Magno naturâ iracundo consilium dedit, vt omnibus se su-  
 perbiorem astimans maledicta contemneret. Sed hoc erat vno vi-  
 tio aliud curare, & iracundiæ superbiam substituere. Christianus  
 maledicta contemnere debet, non quasi conuictatore melior,*

Aug. lib. 1. c. 6.

Virg. 6. Aene.

Id epist. 5 ad  
Marcellan.

Præf. 2. c. 2. 6.

Amb. t. offic. c. 6.

Aelian. lib. 12.

- sed quasi maledicto fortior. Coniuria enim per se nullam vim habent, sed quemadmodum tela, si in corpus durum incidant, repulsa cadunt, non penetrant. Talis erat apud B. Greg. in libris dialogorum Abbas Stephanus, cuius cum ager ad messem paratus ab improbo vicino succensus esset, & alius, ut hoc nunciaret ad eam currens diceret. *Ve ve pater Stephane, quid tibi contigit? Torus enim tuus ager incendio absumptus est, euestigio respondit. Imò ve ve frater, quid illi contigit, qui hoc fecit? me enim certe paruo, seipsum maximo damno mulctavit.* Talis B. Cyprianus, qui, ut est in Actibus passionis, lecta iussu proconsulis tabella, in qua hæc sententia erat. *ASCIVM Cyprianum gladio animaduerti placet,* respondit, Deo gratias, & mox spiculatori 25. aureos numerari iussit. Talis B. P. Ignacius Societatis nostræ parens, de quo sic scribit Ribadineira. *ROMÆ anno 1546. religiosus quidam eruditus ex amico inimicus factus invidia exultante grauitate in Ignatium exarsit. qui etiam iactare cepit omnes in Societate homines, qui in Hispania essent igni se traditurum, idq. Ignatio suis verbis renuntiaret misit. Cui Ignacius per eundem scripto ita respondit. Tu quidem quotquot nostri in Hispania sunt cremandos te curaturum dico ego verò id dico & opto, ut & tu charitate flagres, & amici tui ac necessarii non solum qui in Hispania, sed qui in vniuerso orbe terrarum sunt Spiritus S. igne inflammantur & ardeant.* V. Veritas est, quod calumnie & maledicta sepe cedant in profectum spiritualem eius in quem conieciuntur, ut cum exprobratur aliquod vitium emendatione dignum. Sic, teste B. Aug. in libris confessionum, B. Monica eius mater, cum à suis coætaneis adhuc paruula meribibula vocaretur, hoc coniuicio excitata illud vitium tota postea ætate correxit. Eadem de causa Macedonum quondam rex Philippus, ut narrat Plutarchus in libro de virtute capienda ab inimicis: lætabatur sibi infestos esse Athenienses, eo quod ex eorum criminationibus, in suorum vitiorum notitiam veniret, & ut eos mendaces redderet, corrigebat. VI. Veritas est, quod ex hac doctrina occasionem habemus propius nos Christo Domino conformandi. Nam ipse apud Matthæum dicit. *Non est discipulus super Magistrum, nec seruus super Dominum. Si patrem familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius.* Et S. Ioannes ait. *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.*
- VII. REMED. Considera exemplum incredibilis patientiæ Dei, quod Christus ipse apud Matthæum omnibus imitandum pro iniuria non vindicanda proponit. *Orate, inquit, pro persecutoribus & calumniantibus vos, ut sitis filij patris vestri qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Vnde

Cyp. de bono patientiæ.

B. Cyp. *Sinobis Dominus & Deus pater est, seetemur patientiam Dei pariter & patris: quia & seruos oportet esse obsequentes, & filios non decet esse degeneres. Qualis verò in Deo & quanta patientia, quod in contumeliam sua maiestatis & honoris instituta ab hominibus prophana templa & terrena signamenta, & sacra sacrilega patientissimè sustinens, super bonos & malos equaliter facit diem nasci, & lumen solis oboriri, & cum imbris terram rigat, nemo à beneficiis eius excluditur, quo minus iustus, similiter & iniustus discretas pluias largiatur. Videmus inseparabili equalitate patientia nocentibus & innoxiiis, religiosis & impiis, gratias agentibus & ingratis Dei nutu tempora obsequi, elementa famulari, spirare ventos, fontes fluere, grandescere copias messium, fructus mittere vinearum, exuberare pomis arbuta, nemora frondescere, prata florere. Et cum crebris, imo continuis exacerbetur offensis Deus, indignationem suam temperat, & præsstitutum semel retributionis diem patienter expectat. Et ante eum Tertull. Nobis exercenda patientiæ auctoritatem non affectio humana canina equanimitatis stupore formata, sed viua ac cælestis disciplina diuina dispositio delegat, Deum ipsum ostendens patientiæ exemplum: iam primum qui florem lucis huius super iustos & iniustos equaliter spargit; qui temporum officia, elementorum seruitia, totius geniture tributa dignis simul & indignis patiatur simul occurrere, sustinens ingratiſſimas nationes ludibria artium, & opera manuum suarum adorantes, nomen, familiam ipsius persequentes, luxuriam, auaritiã, iniquitatem, malignitatem quotidie insolentem, ut sua sibi patientia detrahat. Plures enim Dominum idcirco non credunt, quia seculo iratum tam diu nesciant.*

Tertull lib. de patient.

VIII. REM. Considera ineffabile patientiæ exemplum Christi Domini, quod imitandum proponit B. Petrus. *Christus, inquit, passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius. qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur, tradebat autem iudicanti se iniuste. Vnde B. Chry. sermone de mansuetudine. Congruus est, ut quando quis contumelia no: afficit, vel verberat, vel alia ratione affligit, sustineamus omnia mansuetè & patienter. Etenim ipse Dominus & Saluator noster contumelia affectus, verberatus, cruci clavis affixus, leniter tulit Iudeorum furorẽ, & licet posset de eis vindictam sumere, non sumpsit tamen: sed virtutem suam ostendit, cò quod concussit terram, & mortuos suscitauit, & obscurauit solem, & noctem ex die fecit. Mansuetudinem autem declarauit, quia nullum ex his, qui impie agebant, puniuit. Et quia tam mansuetus fuit ipse, ut non solum mansuetè eos tulit, qui crucifigebant & blasphemabant, sed & Patrem absecrauerit, ne cælestibus aduersus impios telis vteretur: idcirco, cum & tibi graue aliquid & durum ferenti subrepunt furor & ira, recordare mansuetudinis Christi, & statim mansuetus eris ac clemens.* Greg. Nazianz. in Nazianz.

Aaaa

fen.

Aug. serm. 2.

Luc. 13. 14.  
Apud Sur. 11.  
Iulii.Cantipr. lib. 2. c.  
18.Amb. de Ioseph  
c. 1.  
Cyp. de bono  
pat.

Gen. 4. 8.

Gen. 44. 1.

In Exodo.

1. Reg. &amp; 2.

sententiis tetraſtichis. Si quando, inquit, animus tuus accepta iniuria dolore exarſerit fac tibi Chriſtus. Chriſtiq; vulnera in memoria veniant, quantum ad partem hanc ſunt eorum, quæ Dominus tuus perpeſſus eſt. Hac ratione animi dolorẽ velut aſperſa aqua extinxeris. Aug. ſermone de ſanctis. Tu, o Chriſtiane, queris vindicari de aduerſario tuo, qui tibi forſan iniuriam fecit? aduſ; furis, anhelas, feſtinas vindicari? attende Chriſtum medicum agri tudine tue, attende redemptorẽ anime tue. Propter te pependit in ligno, & nondũ eſt vindicatus, & tu vis vindicari, & non vis tantum & talem magiſtrum imitari: Ideo pati voluit, ut tibi patientie ſue demonſtraret exemplum. Vide pendentem, & tibi languenti de ſuo ſanguine medicamentũ conſcientem. Vide pendentẽ, & tibi de ligno tanq; de tribunali precipientem. Audi precantem. Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Illuſtre huius antidoti exemplum exſtat in vita B. Ioannis Gualberti à Blaſio Melaneſio cõſcripta. Quidam, inquit, die Ioanni cum armigero ſuo Florentiam tendenti in ipſo itinere capitalis eius hoſtis (qui cognatus eius occiderat) ex inſperato ſit obuiũ, loco adeo anguſto ut neutri locus pateret à via deſcendendi. Tum verò hoſtis plura inermis cum haud dubiam ſibi necẽ paratam cerneret, cõcepta ſubito fiducia ab equo deſiliẽs, humi ſe proſternit, iunctisq; cancellatim ad pedus manib; pro crucifixi amore veniam vitamq; ſibi deprecatur. Cõpunctus Ioannes audiit nomen crucifixi pacem offert, metu ponere iubet, culpamq; ei ex animo remiſit. Hoſte dimiſſo Ioannes ad Eccleſiam quandã deſlexit, cumq; ibi coram crucifixi imagine flexis genib; Chriſti vulnera contempleretur, vidit, dictũ mirabile, Chriſti caput ad ſe inclinari, tanquam gratias agentis, quod pro eius reuerentia hoſti capitali peperciſſet. Ioannes autem illa Chriſti bonitate attractus præteritũ relicto ſeculo monaſterium ingreſſus eſt, & tam ſanctẽ vixit, ut in numerum ſanctorum ſit relatus. Simile habes in Apiario Thomæ Cantipratenſis.

IX. REM. Conſidera exempla Patrum veteri teſtamenti, hoc magis ſuſpicienda quòd ante Euangelium illi fecerint, inquit B. Amb. quod poſt Euangelium didicimus, & ſeruare non poſſumus. Vnde Cyp. loco citato Inuenimus & Patriarchas & Prophetas, & iuſtos omnes, qui figuram Chriſti imagine præeunte portabant, nihil magis cuſtodire in laude virtutum ſuarum quam quod patientiam forti & ſtabili æquanimitate tenuerunt. Sic Abel originem martyrii & paſſionem iuſti hominis initiã primus & dedicans aduerſus fratrem fratricidam non reſiſtit, nec reluctatur, ſed humilis & mitis patienter occiditur. Sic Ioseph venundatus à fratrib; & relegatus, non tantum patienter ignoſcit, ſed & gratuita frumenta venientib; largitur & clementer impartit. Moſes ab ingrato & perfido populo contemnitur frequenter, & pene lapidatur, & tamen lenis & patiens pro eiſdem Deum deprecatur. In David verò, quàm magna & mira & Chriſtiana patientia, habuiſſe in manu ſepe, ut Saul regem perſequentẽ ſe & interficere concupiſcentem poſſit occidere.



Et tamen subditum sibi & traditum maluisse servare, nec rependisse inimico vicem, sed occisum adhuc insuper & vindicasse: Et multo infra. Sic Iob examinatus & probatus ad summum fastigium patientia laudis virtute prouectus est. Quarta aduersus eum iacula zabuli emissa: &c. Ac ne quid omnino remaneret, quod non in suis tentationibus experiretur, armat zabulus & uxore illo antiquo nequitie sua vsus ingenio: nec tamen Iob grauib; ac densis conflictationibus frangitur, quo minus inter illas angustias & pressuras suas Dei benedictio victrice patientia predicetur. Et B. Basilus in oratione de inimicitiis. Necessè est nos stolidas & furiosas animi commotiones sanctorum exemplorum memoria comprimere, cogitando, quàm equo animo Dauid violentiam Semei pertulerit. Non enim ille tantum temporis dabat ira, vt accendi potuerit, sed omnem causam in Deum conferebat, dicendo. Dominus in mandatis dedit Semeio, vt execraretur Dauidem. Ideo, cum se appellari audiret virum sanguinum, & virum iniquum non succensebat illi, sed animo abiecto & demisso fuit, quasi merito contumeliis oneraretur, omnis enim reprehensio, quæ euidenter attingit eum, qui in crimen vocatur, mira dum in modum eum torquet, atq; affligit, ob oculos illi ponens probrum ac sceditatem peccati.

Iob. 1. 9.

Basil. orat. 9.

2. Reg. 16. 10.

X. REMED. Considera exempla noui testamenti. PRIMVM sit B.

Stephani protomartyris, de quo Augustinus, sermone de sanctis. Ecce Stephanus lapidatur, sic constitutus quasi ante oculos nostros. Ecce membrum Christi, ecce athleta Christi. Inspice illum qui pependit in ligno. Crucifigebatur ille, iste lapidabatur. Ille dixit. Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Ille quid dicit. Audiamus illi, si forte vel ipsum imitari valeamus. Luc. 23. 34. Primo beatus Stephanus stans orauit pro se, & ait. Domine Iesu accipe spiritum meum. Deinde genu flexit, & flexo genu, ait. Domine ne statuas illis hoc peccatum. & hoc dicto obdormiuit. Felix somnus, & requies vera. Ecce, quid est requiescere: pro inimicis orare. Sed paulum quæso te sancte Stephane, expone nobis nescio quid: quare pro te stans orasti, & pro inimicis genu flexisti? Responderet fortasse, quod intelligimus. Pro me stans orasti, quia pro me qui rectè Deo seruiui orando & impetrando non laboraui; quia qui pro iusto orat, non laborat. Ventum est, vt oraret pro Iudæis, pro interfectoribus Christi, pro interfectoribus sanctorum, pro lapidatoribus suis attendit tam multam, & tam magnam esse impietatem ipsorum, quæ difficile donari possit, genu flexit, & ait. Domine ne statuas illis hoc peccatum. Ergo carissimi si non potestis imitari Dominum, imitamini conseruum, imitamini S. Stephanum, imitamini omnes martyres sanctos. ALTERVM sit Apostoli PAULI de quo Chryf. in homilia. Quod nemo læditur nisi à se ipso. Vide Paulum quantum passus est: quæ etiam enumerare difficile est: carceres, vincula, verbera, flagella, supplicia: à Iudæis lapidatur, virgis ceditur, præcipitatur, latrones incurrit, ab inimicis & falsis fratribus insidias perfert: intus timores,

Aug. serm. 2.

Act. 7. 59.

Chryf.

AAAA 2

foris

Coloss. 5. 24.  
Rom. 5. 3.

Apud Surium  
14. Decemb.

Greg. hom. 35.

Greg. c. 33.

Call. coll. 19. c.  
24.

foris pugnas patitur: famem, nuditatem, calumnias, insidias, tribulationes, bestias tolerat. Et quid opus est multa dicere? Quotidie moritur, & tamen in his omnibus non solum nihil blasphemum ex ore suo profert, sed & gaudet, & gloriatur, atque exultans dicit. Gaudeo autem in passionibus meis. Et iterum. Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus. Si ergo hic tanta patiens gaudebat & gloriabatur, quae erit venia, quae excusatio his, qui pro peccatis iniuriis, aut qualibuscumque tribulationibus, quae vtrique illis longe inferres sunt, blasphemant? Tertium S. Spiridionis Episcopi Cypri, qui est in vita eius, aliquando ad Imperatorem Constantium, à quo euocatus erat profectus est. Vili autem erat habitu, manu virgam ex palma tenens. Pendebat ex collo vas fictile, & ut verbo dicam, contempti hominis speciem omnino praeseferbat. Itaque regiam ingredientem, quidam indecorum ratus tam abiecta specie virum intrare palatium regium, sacra eius maxilla impudenter colaphum infregit. Tulit id non modo patienter vir sanctus, sed & alteram prompto patiendi animo percussori exhibuit. Quae res insolentulum tanto pudore affecit, ut repente ei supplex fieret, & inconsiderate audacia veniam peteret, quam libens concessit, & hominem paterne instruxit, ut ab inferenda iniuria se contineret. Quo factum est ut à viris principibus in honore haberetur, qui eum summa reuerentia ad Imperatorem deduxerunt. Quartum fit B. Stephani Abbatis, de quo S. Greg. in Euangelia. Fuit, inquit, quidam diebus nostris Stephanus nomine pater monasterii iuxta Reatinam urbem constituti: vir valde sanctus, virtute patientiae singularis. Et super sunt multi, qui illum nouerunt, eiusque vel vitam vel obitum narrant. Erat autem huius linguae rustica, sed docta vita. Hic pro amore caelestis patriae cuncta despexerat, possidere aliquid in hoc mundo fugiebat. Tu multus deuitabat hominum, crebris ac prolixioribus orationibus intentus erat. Virtus tamen patientiae vehementer in eo excreuerat, ita ut cum sibi amicum crederet, qui sibi molestia aliquid irrogasset. Reddebat contumeliis gratias. Si quod in ipsa sua inopia damnum fuisset illatum, hoc maximum lucrum putabat. Omnes suos aduersarios nihil aliud quam adiutores aestimabat. Complura id genus exempla offendes passim in Sanctorum Vitae.

XI. REM. Preparatio & praemunio animi contra omnes iniurias, vel contumelias. Est B. Greg. in 5. Moral. Solerter, inquit, animus ante actionis suae primordia cuncta debet aduersa meditari: ut semper hac cogitans, semper contra haec thorace patientiae munitus, & quicquid acciderit prouidus superet, & quicquid non accesserit lucrum putet. Et Abbatis Ioannis apud Callianum. Cum se, inquit, homo impatientiae suae irae perturbationibus incurfari deprehenderit, contrariis semetipsum obiectionibus semper exerceat, & propositis sibi multis modis iniuriarum dispendiorumque generibus velut ab alio sibi irrogatis assuesciat mentem suam in omnibus qua in-

que inferre improbitas potest, perfecta humilitate succumbere, atq. aspera sibi quæq. & intolerabilia frequenter opponens, quanta eis occurrere debeat lenitate omni iugiter cordis contritione meditetur. Et ita respiciens ad illas sanctorum omnium, siue ipsius Domini passiones, vniuersa non solum conuictiorum, sed etiam pœnarum genera, inferiora meritis suis esse pronuncians, ad omnem se dolorum tolerantiam preparabit. Si dicas, quid si per fragilitatem in impatientiam aliquam quis postea labatur? Respondet. Tunc ita se obiurgans & increpans alloquatur. Tunc ille es bone vir, qui paulo ante te omnia sepeaturum mala constantissimè presumebas? Quomodo inuicta illa patientia tua leuissimi verbis prolatione confossa est? Vbi est illud, Psal. 128. 60. Psal. 25. 2. quod inani fiducia bellum in pace desiderans proclamabas, Paratus sum, & non sum turbatus? Et cum Propheta sepe dixisti. Proba me Domine, & tenta me, vix renes meos, & cor meum. Tali ergo semetipsum compunctionis animaduersione condemnans, inultam animi sui commotiunculam esse non sinat.

XII. REMED. Silentium. Est Ambros. lib. 1. de officijs. Quando, Ambr. c. 2. 7. 6. inquit, aliquis nobis conuiciatur, lacescit, ad violentiam pronocat, ad iurgium vocat, tunc silentium exerceamus, tunc muti fieri non erubescamus. Peccator enim est, qui nos prouocat, qui iniuriam facit, & nos similes sui fieri desiderat. Deniq. si taceas, si dissimules, solet dicere. Quid taces? Loquere, si audes. Sed non audes, mutus es, elinguem te feci. Si ergo taceas, plus rumpitur: victum se reputat, irrisum, posthabitum atq. illusum. Si respondeas, superiorem se factum arbitratur, quia parem inuenit. Si enim taceas, dicitur. Ille conuictus est huic, contempsit isle. Si referas contumeliam, dicitur. ambo conuicti sunt. Vterq. condemnatur, nemo absoluitur. Ergo illius est studium, vt irritet, vt similia illi loquar, similia illi loquar, similia agam. Iustus est autem dissimulare, nihil loqui, tenere fructum bonæ conscientie, plus committere bonorum iudicio, quam criminantis insolentia, contentum esse grauitate morum suorum. Ita fit, vt etiam humilitatem custodiat. Hæc sunt arma iusti, vt cedendo vincat. Confirmat deinde hoc antidotum exemplo Dauidis, dicens. cap. 6. Cur non imitemur dicentem. Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis. An hoc dixit tantummodo, non Psal. 38. 7. 2. Reg. 16. 10. etiam fecit Dauid? imò & fecit. Nam cum ei conuictaretur Semei filius Iemini, tacebat Dauid, & quamuis septus armatis non retorquebat conuictum, non ultionem quarebat, &c. Non ergo mouebatur conuictus, qui abundabat bonorum operum conscientia. Alibi verò confirmat exemplo Christi. Denique, inquit, & Christus tacebat ante Pilati iudicium constitutus, vt In Psal. 38. Matth. 27. 14. nobis daret formam tacendi, quia lingua corporis facilis est ad errorem, procliuius ad lapsum. Hoc remedio vltimè fuisse in aliorum iurgiis B. Paulam Romanam tradit Hieronymus in epistola 27. ad Eustochium.

Hieron. in Epi-  
taph.  
Psal. 38. 3.  
Psal. 37. 14.  
Greg. homil. 18.  
in Luang.  
Ioan. 8. 59.  
Ioan. 8. 50.  
Cass. c. 26.

*Si quando, ait, procacior fuisset inimicus, & vsq; ad verborum iurgia proflisset, illud Psalterij decantabat. Cum confisteret aduersum me peccator, inmutui & silui à bonis. Et rursus. Ego autem quasi surdus non audiebam, quasi mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo increpationes. Idem remedium acutè B. Gregorius exculpit ex Christi facto, cum apud B. Ioannem, Iudais se ad lapidationem parantibus, dicitur se abscondisse, & de templo exisse. Quanta humilitate, inquit, iram proximi ferre debeat, perpendat homo, si furere irascentium abscondendo se declinauit Deus. Nemo ergo se contra acceptas contumelias erigat, nemo conuictis conuictum reddat. Imitatione enim Dei gloriosius est iniuriam tacendo fugere, quam respondendo superare. Sed contra hoc superbia dicit in corde. Turpe est, ut accepta iniuria taceas. Quisquis conspicit, quia contumeliam accipis, & taces, non putat, quia patientiam exhibes, sed crimina agnoscis. Sed unde vox ista in corde nostro contra patientiam nascitur, nisi quia in imis cogitationem fiximus, & dum in terra gloriam querimus, placere ei, qui nos de cælo conspicit, non curamus? Accepta ergo contumelia, meditemur in opere vocem Dei. Ego non quero gloriam meam, est qui quarat & iudicet. Idem proponit & Abbas Ioseph apud Cassianum, collatione 16.*

XIII. REMED. Siue conueniens sit tacere, siue aliquid respondere conuictanti, præctice sequere consilium S. Basilij his verbis præscriptum. *Probris te perfudit? at tu illi benedicas. Verberibus affecit? tu verò a quo animò ferto, conspuit, ac nihili te fecit? tu verò illud tecum meditare, quod ex terra factus & creatus es, & rursus in terram resoluèris. Ignobilis te, & obscuro loco natum dixit? at tu terram teipsum esse dicit, & cinerem. Non es præstantior patre nostro Abraham, qui ijs nominibus se appellauit. Indoctum, ac nullis opibus? tu verò Davidis verbis utens vermem te esse dicit, & ex sterquilinio ortum habere. His etiam adde Moysis prohibitatem, qui cum esset ab Aarone & Maria conuictis oneratus non eos DEO detulit, sed pro ipsi vota fecit, &c. Quid te pauperis appellatio perturbat? memoria repete ortum tuum, & reperies nudum te in hunc mundum ingressum esse, proinde nudus etiam hinc abibis. Homine verò nudo, quid, queso, pauperius esse poterit? nihil profectò. Sequere & Chrysostomi consilium ita scribentis. Fuit tibi quisquam iniurius, aut malo affecit? ingemisce: ne maledictis incesseris, funde lacrymas, non iniurie gratia, sed ob iniuriam inferentis interitum: quem admodum & Dominus tuus Iudas deplorauit. Non enim quod cruci suffigeretur desolebat, sed quod se ille esset ad sui perniciem proditurus. Læsi te quispiam, aut contumelia insectatus est? Deum precare, uti mox illi concilietur & parcat: frater enim est, tuum est membrum, eodem quo tu partu genitus, ad eandem vocatus est mensam. Dicit aliquis. At si id egero, maiorem tibi in modum aduersa*

Chryl. serm. de  
laude Dei.

Gen. 18. 18.  
Psalm. 21. 7.

Num. 11. 11.

Basil. orat. 9. de  
ira.

aduersarius insultabit. Ergo & maiora te & plurima manebunt premia, eoq;  
iustius ira mittenda est, cum illum videris vulnere mortali affectum. Demon  
enim plagam illi inflixit: idcirco neq; erit rursus per te exulcerandus, vel a-  
liquo modo calcandus, quem videris per demonem consternatum. Et alibi.  
Nihil ita Deum reddit propitium, sicut inimicos diligere, & calumniantibus  
benefacere. Cum igitur aliquis infestat, ipsum ne respicias, sed demonem in-  
stigantem, & omnem in illum iram effunde: ipsius autem & miserere, qui  
mouetur ab eo. Nam si mendacium a diabolo est, etiam irasci temere multo  
magis ab ipso. Cum mordentem videris, cogita quod est diabolus, qui eum in-  
stiget. Non enim Christianorum sunt scommata.

Id. homil. 51. ad  
pop. Ant.

XI V. REMED. Imploratio diuini auxiliij. Est B. Dorothei in do-  
ctrina de similitate, seruitq; ijs, qui iniuria semel affecti aegre illius ob-  
liuisci possunt. Alius, inquit, non verba, non opere, non aspectu, non habitu  
studet malum pro malo reddere, affligitur autem in corde erga fratrem. Alius  
nullam quidem erga fratrem habet tristitiam, tamen cum audierit illum ab  
alio afflictum vel contumelia affectum delectatur audiens. Alius neq; odium  
in corde retinet, neq; gaudet dum audit affectum contumelia eum qui se affli-  
xerit, quinimo dolet illum male habere, non tamen libenter audit illum bene  
habere. Est & alius, qui acceptam iniuriam statim obliuiscitur, & ilico fratri  
reconciliatur, sin vero post dies aliquot contigerit ab eodem in se dici quippiam  
minus gratum, euestigio in memoriam reuocat primam iniuriam. Cumq;  
dixisset, hos similes esse vulneratis, qui post vulnus sanatum cicatri-  
cem tamen retinuerunt, subiicit. Debet igitur ita concertare, vt etiam  
cicatricem omnem faciat euanescere, atq; ita locum vulneris exsolire, vt nul-  
la ibi deformitas relinquatur, neq; aliquando reminiscatur vulnus illic exti-  
uisse. Quod si queras, quo pacto id facias, scito per Orationem hoc maxime fie-  
ri, cum videlicet toto corde pro fratre supplicas, & dicis. Domine auxiliare  
mibi & fratri meo per mutuas preces. Et sic supplicans pro fratre prestat ar-  
gumentum caritatis compassionis & humilitatis, dum scilicet frater nis preci-  
bus tibi quoq; imploras auxilium. Vbi autem fuerit caritas, compassio, humi-  
litas, quid ibi poterit iracundia, vel auersio, aut alia quauis passio? Hinc recte  
aiebat Abbas zosimas. Si diabolus cum cetero demonum agmine ad haec omnes  
artes suas & machinamenta adhibeat, vix fore omnes eius impetus. Et al-  
terius ex Patribus fuit ista sententia, quod pro inimicis orans nunquam possit  
esse iracundus, aut vindicte studiosus. Hucusq; Dorotheus. Adde Am-  
brofium ita scribentem. Iustus aduersus insultantes sibi tacet, iustus orat. Au-  
di iustum orantem. Pro eo, vt me diligere, detrahebant mihi, ego autem ora-  
bam. Iustus orat pro calumniantibus, quia & hoc praecipit Dominus, adiun-  
gens. Benefacite ijs, qui oderunt vos. Orate pro calumniantibus & persequen-  
tibus vos. Ipse est per omnia iustus, qui has custodit & seruat. Primum, quia  
tacet, &

Dorothei. doct. 8.

Ambr. in Pl. 38.  
Psal. 108. 4.

Matth. 5. 44.

tacet, & non respondet inimicis. Deinde, quia orat, hoc est, non est otiosus effectus. Et qui orat, bona orat, non ea, quae cuius possint suo inimico nocere. Placet ergo orare, quam tacere. Et paulo post. Etsi infirmus es, ora: & si fortis es, ora. Infirmus pro te oras, fortis pro inimico tuo oras. Bonum scutum infirmitatis oratio. Tu oras, & Dominus te protegit. Bonum scutum etiam triumphantis, ut inimicum tuum quem possis ferire defendas.

XV. R E M E D. Considera, quam grauius à Deo puniti sint in hoc seculo qui offensam obstinatè condonare noluerunt. In vitam S. Nicephori martyris tale narratur exemplum. Inter hunc Nicephorum & Saprimum presbyterum quondam familiares orta fuit similitas. Nicephorus prior per amicos ter quateruè reconciliationem petiuit: cum non succederet, ipse supplex veniam à Saprimum rogat, sed frustra. Orta mox persecutione sub Valeriano Imperatore Saprimum delatus fidem fortiter confitetur, tormenta varia sustinet, sententiam capitalem accipit. Hoc audens Nicephorus ei ad supplicij locum ducto in via occurrit, prostratus ad pedes eius, veniam & charitatis osculum petijt. Facit hoc bis teruè, adeo ut iudices pagani eum quasi stultum deriderent, qui tam anxie veniam ab homine statim morituro postularet. At Saprimum ne verbum quidem ei responderet, ne quidem in ipso supplicij loco & puncto. Cum ergo à carnifice Saprimum abiret, genua flectere, ut caput ei amputaret, dixit licentibus. Nolite me ferire, & Dijs sacrifico. Hoc audito, Nicephorus multis verbis & lacrymis eum rogat, ne sic se in aeternum perdat. Sed eo persistente exclamat Nicephorus. Ego sum Christianus, me pro ipso ferite. Licentibus ergo re tota ad Praefectum confestim delata, & ab eo potestate accepta, miserum Saprimum dimiserunt, qui fratrem non respiciens Christum negauerat, Nicephorum vero in martyri gloria, amputato eius capite, coronarunt. In quo exemplo vides, mirabili iudicio Dei, cum qui offensam prior condonauit fieri martyrem, qui verò condonare noluit, ex martyre iam iam futuro fieri apostatam. Aliud narratur à Thoma Cantipratano. Venerabilis, inquit, Iacobus de Vitriaco, ut multis adhuc notum est, crucem Hierosolymitanam in salutem multorum in Brabantia predicauit. Contigit autem, ut pacificaturus quadam die mortales inimicitias, iniuriam passum, primo suppliciter, deinde prostratus pedibus eius, semel, iterum, & tertio cum multitudine populi presente rogaret, nec proficeret in rebellem. Conuersus igitur ad palum dixit. Palam omnibus contestor vos: quia qui spernit nos, spernit & eum, qui mittit nos. Rogate ergo Dominum, ut tale signum ostendat in hominem obstinatum, quo cunctis presentibus pateat eum hostiliter contra se in retentione odij contra proximum hoc egisse. Nec mora. Vbi vir sanctus orationem expleuit, miser ille euersis oculis, semel, iterum, & tertio in terram corruit, ore à cruorem spumans & sanie, horrore maximum spectantem

Apud Sur. 9.  
Febr.

Cantipr. libr. 1.  
c. 18. p. 2.

Luc. 10. 16.

culum & piaculum omnibus praeiuit. Tunc siccato populo, vir reuerendus  
fusa prece prostratum erexit. Qui mox integerrime sospitatus, ubi ante se  
inimicum vidit, quasi aliquid amicissimum rogaturus, cum lacrymis veniam  
petiuit, ruensq; in oscula eius, ad lacrymas & laudem Christi omnium corda  
commouit.

VIDE V. Consuetudo praua. Detractio. Discordia. Gloria vana.  
Immortificatio passionum. Impatientia in aduersis. Ira. Linguae  
abusus. Maledictio. Obsinatio. Odium. Pusillanimitas. Superbia.  
Tentatio. Tristitia.

VOLUNTAS PROPRIA.

Remedia contra volunt. propriam.

**I**REMEDIUM. Considera quid Spiritus sanctus de voluntate propria,  
vel praua libertate, qua quis viuunt, vt liber, in diuinis scripturis  
tradiderit. Primo autem eam reprehendit, apud Iob Prophetam, Iob. 12. 18.  
dum ait. *Vir vanus in superbiam erigitur, & tanquam pullum onagri se  
liberum natum putat.* Et apud Isaiam, *Ecce in die ieiunij vestri inuenitur* Isai. 58. 3.  
*voluntas vestra.* quam reprobatur, inquit in eum locum B. Hierony-  
mus, Apostolus Paulus in Epistola ad Ephesios ita scribens. *In qui-* Ephes. 2. 3.  
*bus, nempe peccatis, & nos omnes aliquando conuersati sumus in deside-*  
*rijs carnis nostrae facientes voluntatem carnis, & cogitationum, & eramus*  
*natura filij ire.* Et apud Oseam, de quibusdam dicitur. *Reuersi sunt, vt* Ose. 7. 16.  
*essent absq; iugo.* beatus Petrus quoq; haereticis tribuit praedicationem 1. Petr. 2. 18.  
huius libertatis. *Inescant, inquit, homines per concupiscentias carnis vo-*  
*luptatibus, eos qui verè aufugerant eos, qui in errore conuersantur, dum illis*  
*libertatem pollicentur cum ipsi serui sint corruptionis.* De eadem liberta-  
te loquens B. Paulus ait. *Cum enim serui essetis peccati, liberi fuistis insti-* Rom. 6. 19.  
*tia.* *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, de quibus nunc erubescitis?*  
2. hortatur, vt voluntatem Dei potius, quam nostram faciamus. Vnde Psal. 25. 4.  
rex Dauid sic orat. *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt videam vo-* Psal. 29. 6.  
*luptatem Domini.* Et quoniam vita in voluntate eius. Et iterum. *Doce-* Psa. 143. 10.  
*me facere voluntatem tuam.* Et Salomon ait. *Voluntas eius in his, qui sim-* Prou. 11. 20.  
*pliciter ambulant.* Et Christus docuit nos orare. *Fiat voluntas tua, sic-*  
*ut in caelo & in terra.* Et Apostolus. *Nolite conformari huic saeculo sed re-* Matth. 6. 10.  
*formamini in nouitate sensus vestri, vt probetis, quae sit voluntas Dei bona,* Rom. 12. 2.  
*& beneplacens, & perfecta.* 3. hortatur, vt amemus disciplinam, qua-  
lis solet esse patris in filium, magistri in discipulum, domini in seruum,

Bbbb & Magi-

- & Magistratus in subditum. Ea enim consistit in eo, ut alienæ potestati voluntati, licet dura imperentur, quam nostræ pareamus. Vnde Salomon. *Disciplinam Domini, fili mi ne abicias, nec desicias cum ab eo corripis. Quem enim diligit Dominus corripit, & quasi in filio complacet sibi.* Et Sapiens. *Disciplinam qui abicit infelix est.* Et Apostolus. *Fili mi, negligere disciplinam Domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris, in disciplina perseverate. Tanquam filijs vobis offert se Deus; Quis enim filius, quem non corripit pater?* Et iterum. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subiciat.* Et. *Obedite prepositis vestris, & subiaccete eis.*
- II. REMED. Considera dicta SS. Patrum. Cyp. de habitu Virginitum. *Disciplina custos spei, retinaculum fidei, dux itineris salutaris, solumque nutrimentum bonæ indolis, magistra virtutis, facit in Christo manere semper, ac iugiter in Deo vivere, ad promissa caelestia, & diuina premia pervenire.*
- Hanc sectari salubre est, & aduersari ac negligere lethale. Et alibi, in oratione Dominica addimus quoque, & dicimus *Fiat voluntas tua, sicut in celo & in terra, non ut DEVS faciat, quod vult, sed ut nos facere possimus, quod Deus vult.* Nam Deo quis obstitit, quo minus, quod velit, faciat? Sed quia nobis à diabolo obstititur, quo minus per omnia noster animus, atque actus Deo obsequatur, oramus & petimus, ut fiat in nobis voluntas Dei: quæ ut fiat in nobis, opus est Dei voluntate, id est, ope eius & protectione, quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentia & misericordia tutus est. S. Basilii in regulis breuioribus monachorum. *Dictum est plerisque, in locis, quod in uniuersum uti propria voluntate, arbitrioque aliorum est à recta ratione. Similiter, quod maioris partis iudicio non stare, est contumacia & pernicia periculum incurere.* Et sermone de institutione monachorum. *Si quis spreto consilijs antistitis facere voluerit, quicquid collibitum sit, plus mali, quam boni faciet. Qui enim potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* S. Hier. ad Rusticum monachum. *Omnis ordo Ecclesiasticus suis Rectoribus nititur, in natiuus gubernator. In domo vnus Dominus. In qua vnus grandi exercitus vnus signum expectatur. Et ne plura replicando fastidium legenti faciam, per hæc omnia ad illud tendit oratio, ut doceam te non tuo arbitrio dimittendum, sed debere vivere in monasterio sub vnus disciplina Patris.* Ioan. Cassianus de institut. renunciantium. *Senioris hæc erit sollicitudo & eruditio principalis, ut iuniorem doceat primitus suas vincere voluntates, quem studiosè in his ac diligenter exercens, hæc illi semper imperare de industria procurabit, quæ senserit animo eius esse contraria. Multis siquidem experimentis edocti, tradunt monachum & maximè iuniores, ne voluptatem quidem concupiscentie sue refrenare posse, nisi prius mortificare per obedientiam suas didicerint voluntates.* Et in collatione Abbatis Ioseph. *Sciendum sane generaliter, illum partes agere fortiores, qui voluntati fratris suam subiicit*

Prou. 3. 17.

Sap. 3. 11.  
Hebr. 12. 5.Rom. 13. 1.  
Hebr. 13. 17.

Cyprian.

Id. de orat. Domin.

Basil. q. 223.

Rom. 13. 2.

Hieron. epist. 4.

Cass. lib. 4. c. 8.

Coll. 16. c. 23.



voluntatem, quam cum qui in defendendis suis definitionibus ac tenendis pertinacior inuenitur. *Maia* Abbas de perfectione. *Aperiendi sunt mentis oculi, ut nos ipsi cognoscamus, sciamusq. Dei inimicum constitui, qui propriam sequitur voluntatem.* Et de gaudio animæ. *Qui voluntatem suo proximo submittit, animum virtutis studiosum ostendit. Qui verò voluntatem suam amplectitur, præfert imperitiam.* S. Bern. de resurrectione. *Voluntatem dico propriam, quæ non est communis cum Deo & hominibus, sed nostra tantum, quando quod volumus non ad honorem Dei, non ad utilitatem fratrum, sed propter nosmet ipsos facimus, non intendentes placere Deo, & prodesse fratribus, sed satisfacere proprijs motibus animorum. Huic contraria est recta fronte caritas, quæ Deus est. Hæc enim aduersus Deum inimicitias exercens est, & guerram crudelissimam. Quid enim odit, aut punit Deus præter propriam voluntatem?*

*Isai. orat. 13.  
Id. orat. 16.*

*Bern. serm. 3.*

III. REMED. Considera exemplum Christi Domini, qui apud B. Ioannem ita loquitur. *Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me, ut perficiam opus eius.* Et rursus. *Non quero voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Et. *Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* Quæ verba tractans B. Basilii in regulis breuioribus ita scribit. *Cum Dominus dixerit. Descendi de cælo non ut faciam voluntatem meam, &c. quicquid quisq. ex proprie voluntatis arbitrio facit, id cum facientis proprium sit, alienum est à cultu pietatis, metuendumq. est, ne de eo, quod videtur facere ipsi dicatur à Domino. Ad te conuersio eius, & tu dominaberis ei.* Deinde Christus ne in passione quidem suam voluit fieri voluntatem, nimirum in re asperissima, dixit enim in horto olans. *Pater si vis transfer calicem istum à me. Veruntamen non mea voluntas sed tua fiat.* Quæ verba expendens S. Cyprianus in explanatione orationis Dominicæ. *Quod si filius, inquit, obaudiuit, ut faceret patris voluntatē: quanto magis seruus obaudire debet, ut faciat Dei voluntatem? sicut in epistola sua Ioannes quoq. ad faciendam DEI voluntatem hortatur, & instruit, dicens. Nolite diligere mundum, neq. ea quæ in mundo sunt, &c. Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, quomodo & Deus manet in æternum. Qui in æternum manere volumus, Dei qui æternus est, voluntatem facere debemus. Voluntas autem Dei est, quam Christus & docuit, & fecit. Humilitas in conuersatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis iustitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, iniuriam facere non nosse, & factam tolerare posse, cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere, amare in illo quod pater est, timere quod Deus est, Christo nihil omnino præponere, quia nec nobis ille quicquam præposuit, caritati eius inseparabiliter adharere, cruci eius fortiter ac fidenter assistere, quando, de eius nomine & honore certamen est, exhibere in*

*Ioan. 4. 34.  
Ioan. 5. 30.  
Ioan. 6. 38.  
Bas. q. 138.*

*Genes. 3.*

*Luc. 22. 42.  
Cyp. serm. 6.*

*1. Ioan. 2. 15.*

Bern. serm. 3.  
de resur.

Matth. 26. 39.

Isai. 63. 7.  
Ioan. 12. 24.

Aug. part. 8.

Gen. 2. 17.

Bern.

sermone constantiam, qua consistemur: in questione fiduciam, qua concredimur: in morte patientiam, qua coronamur: hoc est, coheredem Christi velle esse, hoc est, preceptum Dei facere, hoc est, voluntatem Patris adimplere. Queres, cum voluntas propria Christi fuerit bona, imò impeccabilis, cur eam non fecerit? O Domine voluntas, inquit S. Bern. de qua dixisti, ut non fieret, si bona non erat, quomodo tua erat? Si bona erat, quare derelicta sit? & consilium, si non bonum, quomodo tuum? si bonum, quomodo relinquitur? Et bona erant, & eius erant: neg, tamen minus relinquenda, ob hoc delicta, ut fierent meliora. Neg, enim oportebat propria praiudicare communibus. Erat ergo voluntas Christi, & bona erat, qua dicebat. Si fieri poterat, transeat à me calix iste, sed ea de qua dicebat, fiat voluntas tua melior eras, quia communis non solum patris, sed & Christi ipsius (Oblatus est enim, quia ipse voluit) & nostra. Nisi enim granum frumenti cadens in terram mortuum esset, ipsum solum maneret mortuum, verò multum fructum attulit. Atque hæc voluntas Patris erat, ut videlicet haberet, quos adoptaret in filios. Christi erat, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Nostra erat, quia pro nobis faciebat, ut redimeremur.

IV. REMED. Considera solam propriam voluntatem primiparentis Adæ, causam fuisse, fontem & radicem primi peccati originalis in totam posteritatem humanam transfusi, & in nobis singulis esse causam omnium peccatorum actualium, tam lethalium, quam venialium. De voluntate Adæ ita scribit B. Aug. concione 2. in Psal. 70. Si quis peruersè voluerit imitari Deum, ut quomodo Deus non habet, à quo formetur, non habet, à quo regatur, sic ipse velit sua potestate uti: Hoc diabolus fecit, imitari Deum voluit, sed peruersè, non esse sub illius potestate, sed habere contra illum potestatem. Homo autem positus sub precepto, audiuit à Domino Deo. Noli tangere arborem in medio paradisi. Et infra. Quare autem tetigit frates mei? Quid illi deerat? Dicatur mihi, quid illi deerat in paradiso constituto in media opulentia, medijsq; delicijs? cui magna delicia erant ipsa visio Dei, cadus faciem quasi inimici timuit post peccatum. Quid illi deerat ut tangeret, nisi quia sua potestate uti voluit, preceptum rumpere delectauit? Ut nullo sibi dominante fieret sicut Deus, quia Deo nullus utiq; dominatur. Malè vagus, malè presumens, futurus mortuus recedendo à via iustitie. Ecce soluit preceptum, excussit à cervice iugum disciplina, habens regiminis exaltate animositate dirupit. Si obijcias serpentem potius videti primam causam peccati Adæ. Respondet B. Bernardus in sermone de duplici baptismo. Serpens, callidior utique, non fortior ceteris animalibus, ô Eva decepit te: decepit profecto, non impulit, aut coegit. Mulier tibi, ô Adam, de ligno dedit, sed offerendo utique, non violentiam inferendo. Neg, enim potestate illius, sed tua factum est voluntate, ut eius voci plus obsequer.

obedieris, quam divina. De aliis peccatis actualibus quod sola propria voluntate committantur, manifestum est. Nam ut scribit S. Aug. <sup>Aug. c. 74.</sup> in libro de vera religione, & est axioma à Theologis receptum. *Usq; adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.* Et hoc quidem, inquit, manifestum est adeo, ut nulla hic Doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat. Hinc est, quod B. <sup>Bern. serm. 2.</sup> Bern. in sermone de resurrectione citato agens de peccato mortali. *Quid, inquit, odit, aut punit Deus præter propriam voluntatem? Cesset voluntas propria, & infernus non erit. In quem enim ignis ille desuetet, nisi in propriam voluntatem? Et inferus. Hæc est crudelis bestia, fera pessima, rapacissima lupa, & leona ferissima. Hæc est immundissima lepra animi, propter quam in Iordane mergi oporteat, & imitari eum, qui non venit facere voluntatem suam.* Et de duplici baptismo. *Caueamus à propria voluntate, tanquam à vipera pessima, & nequissima, & qua sola deinceps damnare possit animas nostras.*

V. REMED. Considera de terribis propriæ voluntatis effectus ab eodem D. Bernardo accuratè descriptos. *Voluntas propria, inquit, <sup>Bern. de resur.</sup> quo furore Dominum maiestatis impugnet, audiant & timeant serui propriæ voluntatis. Primo namq; seipsum subtrahit, & subducit eius dominatui, cui tanquam auctori seruire iure debuerat, dum efficitur sua. Sed nunquid contenta erit hac iniuria? 2. Addit adhuc, & quod in se est, omnia quoq; quæ Dei sunt tollit & diripit. Quem enim modum sibi ponit humana cupiditas? Dico fiducialiter. Nemini, qui sit in propria voluntate, posset uniuersus mundus sufficere. 3. Sed utinam vel rebus istis esset contenta, ne in ipsum (horribile dictu) desuieret auctorem. Nunc autem & ipsum, quantum in ipsa est, Deum perimit voluntas propria. Omnino enim vellet Deum peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut ea nescire. Vult ergo eum non esse Deum: quæ quantum in ipsa est, vult eum aut impotentem, aut iniustum esse, aut insipientem. Crudelis planè & omnino execranda malitia, quæ Dei potentiam, iustitiam, sapientiam perire desiderat. 4. docet dæmonem semel ab anima nostra per sacramentum baptismi abactum, per propriam voluntatem cum septem spiritibus nequioribus reuocari. 5. docet omnia bona opera nostra per propriam voluntatem inquinari, meritoque suo destitui. Et enim, inquit, si in die ieiunii mei, inueniatur voluntas mea, non tale ieiunium elegit sponsus, nec sapit illi ieiunium meum, quod non lili- um obedientiæ, sed virtutum propriæ voluntatis sapit. Ego autem non solum de ieiunio, sed de silentio, de vigiliis, de oratione, de lectione, de opere manuum, postremo de omni obseruatione monachi, ubi inuenitur voluntas sua in ea, & non obedientia magistri sui id ipsum sentio. Minimè prorsus obseruantias illas, etsi bonas in se, tamen inter lilia, id est, inter virtutes censuerim depre-*

Bbbb 3 sandas

Id. de dup. ba-  
ptismo.  
Id. serm. 71. in  
cantic.  
lra 58. 3.

Ibid. 5.

tandus: sed audiet à Propheta, qui eiusmodi est. Nunquid tale est obsequium, quod legisti dicit Dominus. Et addit. In die bonorum tuorum inveniuntur voluntates tue. Grande malum propria voluntas, qua fit ut bona tibi bona non sint.

Matth. 16. 24.

Ioan. 5. 90.

Cass. coll. 19. c. 8.

Matth. 6. 34.

Isa. 58. 13.

[4. lib. 4. c. 8.]

Doro. serm. 17.

d. serm. 1.

VI. REMED. Abnegatio propriæ voluntatis, quàm Christus docuit verbo & exemplo, cum ait apud Matthæum. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Et Ioannem. *Non quero voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* De qua Cassianus in collationibus. *Finis quidem cœnobitæ est, omnes suas mortificare & crucifigere voluntates, ac secundum Euangelicæ perfectionis salutare mandatum nihil de crastino cogitare. Quam perfectionem prosum à nemine, nisi à cœnobitæ posse impleri certissimum est. Quem virum scias Propheta describens ita beatificat, atq; collaudat. Si auerteris à Sabbato pedem tuum facere voluntatem tuam in Deo sancto meo, & glorificaueris eum, dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, ut loquaris sermonem, tunc delectaberis super Dominum, & sustollam te super altitudinem terræ, & cibabo hereditate Iacob patris tui. Os enim Domini locutum est.* Et in institutionibus monasticis. *Seniores, inquit, multis experimentis edocti pronunciant monachum, nullatenus prævalere ad summa perfectionis culmina ascendere, nec iram, vel tristitiam, vel spiritum fornicationis extinguere: sed nec humilitatem cordis veram, nec cum fratribus unitatem perpetuam, nec firmam, diuturnamq; posse retinere concordiam, sed nec in cœnobio quidem diutius permanere eum, qui prius voluntates suas non didicerit superare.* B. Dorotheus quoq; quemlibet religiosum ita alloquitur. *Coge teipsum in cunctis, & vince, & voluntatem tuam imprimis absconde. Si enim consueueris voluntatem tuam amputare, habitum indues Christi gratia & misericordia, quo omnia sine molestia, aut repugnantia perficies, teq; perfecte afferes in libertatem.* Idem commemorat discipuli sui Dosithei hanc præcipuam exercitationem fuisse, ut propriam voluntatem crebrius frangeret. nam cum quidam illi aliquid afferrent ad vsum quotidianum necessarium, sedulo & nitide paratum, iubebat aliis potius quam sibi dari, &c. Et ideo intra quinquennium ad tantam perfectionem peruenit, ut post mortem conspectus sit inter sanctos ad magnam euectus gloriam. Vnde rogatus aliquando Dositheus, cum in sustinendis ieiuniis, vigiliis ceteraq; asperitate aliis multo inferior esset, qua in virtute se exercuisset, respondit, se omne studium in propria voluntate cum superiorum voluntate conformanda posuisse.

VII. REMED. Subicere se alterius imperio & voluntati, vel in parte, vel in totum. In parte, sicut filii parentibus, discipuli magi-

stris, ser-

stris, serui Dominis, subditi magistratibus, clerici Prælati, milites belli ducibus, eorumq; legibus & arbitrio subiiciuntur. In totum, verò, sicut religiosi in religione approbata, qui cum obligatione voti obedientiæ Deo & superioribus sponte se subiiciunt. De qua subiectione hic præcipue agimus. Quod ad priorem attinet, non dubium est eam non solum laudabilem, sed etiam necessariam esse ad coercendam propriæ voluntatis peruersitatem. Nam S. Scriptura non semel monet, vt non simus sapientes apud nosmetipsos: & sæpenu-mero, vt ad obedientiam, ita ad hanc subiectionem nos hortatur. Deinde idem docuerunt gentiles Philosophi naturæ lege edocti, & suasis Seneca, vt quisq; ducem & magistrum aliquem eligat, cuius voluntati obsequatur. *Hoc mi Lucili, inquit, Epicurus precepit, custodem nobis & pedagogum dedit. Opus est, inquam, aliquo, ad quem mores nostri se ipsi exigant. Nisi ad regulam, praua non corriges.* Demum ita expedit nobis ob passionum turbam, qua à mentis constãtia sæpè deturbamur. *Cum subiecti simus, ait S. Dorotheus, multis passionibus, prauisq; affectibus, nostro iudicio non debemus omnino fidere. Quando enim regula curua est, nunquam quod secundum eam dirigitur rectum efficitur, sed distortum.* Quod ad posteriorem subiectionem, Religiosorum propriam at- tinet, ea consulitur à Christo, cum ait ad adolescentem prædiui- tem. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia qua habes, & da paupe- ribus, & veni sequere me.* Quod consilium, qui erant secuti Apo- stoli, exclamant in persona B. Petri. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* In quæ verba ita scribit Hieron. *Quia enim non sufficiebat relinquere omnia (hoc enim & Crates fecit Philosophus, & alij multi, qui diuitias contempserunt) iunxere quod perfectum est, & secuti su- mus te: fecimus quod iussisti.* Idem fecere postea Macedones sub Apo- stolo Paulo: nam de iis ita scribit. *Semetipsos dederunt primum Domino,* deinde nobis per voluntatem Dei. Fecerunt deniq; omnes religiosi & eccle- siasticæ. De quibus agens B. Basilius in regulis fusius disputatis. *Qui seipsum abnegauit, se seq. voluntatibus omnibus spoliavit, is non quod vult faciet, sed quod docetur. Neq; verò ratio permittit eum sibi ipsi, quod expediat eligere, qui gubernationem sui alius tradiderit.* Et Hier. ad Rusticum mo- nachum. *Ad hac tendit oratio, vt doceam te non tuo arbitrio dimit- tendam, sed viuere debere in monasterio sub vnius disciplina Patris, con- sortioq; multorum.* Et August. de moribus Ecclesiæ, agens de simili- bus qui vnius Patris imperio se subdiderant. *Hi verò Patres, inquit, nulla superbia consulunt iis, quos filios vocant, magna sua in tubendo au- thoritate, magna illorum in obtemperando voluntate.* Quare merito B. Bern. in Cantica scribens inuehitur in monachos, qui cum

Prou. 3. 7.  
Rom. 12. 1.  
1. Pet. 2. 13.  
Heb. 13. 17.  
Sen. ep. 22.

Dor. serm. 19.

Matth. 19. 21.

Hier. in c. 19.  
Matth.

2. Cor. 8. 5.

Bas. quaest. 41.

Hier. ep. 4.

Aug. l. 1. c. 97.

Bern. serm. 19.

semel.

semel totos se, quoad iudicium & voluntatem, subdidissent superioribus, tamen ad propriam voluntatem & iudicium relabebantur. *Qui vestri*, inquit, *curam semel nobis credidistis, quid rursum de vobis vos intramittitis?*

VIII. REMED. Resignatio perfecta sui ipsius in manus Superioris, qua homo religiosus iudicium suum voluntatemque ad plenum eidem resignat, ut de eo disponat in omnibus prout iudicavit expedire ad maiorem Dei gloriam, suamque profectum. Qualis resignatio creditur fuisse beatissimæ Virginis Dei matris, cum Dei voluntate cognita ab archangelo Gabriele, de concipiendo filio Dei, modoque hanc voluntatem exequendi, ilico assensit dicens. *Ece ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Et qualis videtur fuisse B. Pauli ad Apostolicam dignitatem diuinitus vocati, cum exclamavit. *Domine, quid me vis facere?* Qualis B. Augustini, quando perspecta per varias inspirationes diuina voluntate in has voces erupit. *Da Domine quod iubes, & iube quod vis.* Qualis magni Isidori Alexandrini, qui religionem ingressus superiori suo dixit. *Sicut fabro ferrum subiectum est, ita & ego opater, me ipsam obedientia expono,* qui huius resignationis beneficio ad culmen perfectionis breui peruenit, ut docet Iohannes Climacus de gradu obedientiæ. Facile autem ad perfectam hanc voluntatis propriæ resignationem exercendam commoueberris, si assuescas in Superiore tuo, non hominem sed Christum introiri, uti reuera faciendum est, ut alibi ostendimus. Idcirco enim Christus de superioribus agens, dixit. *Qui vos audit & qui vos spernit, me spernit.* Et Apostolus ad Romanos ait. *Non est potestas, nisi à Deo, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Exemplum huius rei narrat loco citato idem Climacus de quodam, qui in officio coci, multarum distractionum obnoxio, tamen pristinam semper pacem & deuotionem retinebat, haud secus, quam si semper orationi vacaret; rogatus autem eius rei causam, inter alia respondit. *Nunquam me hominibus seruire arbitratus sum, sed Deo.*

IX. REMED. Indifferentia; quæ non est aliud, quam quadam animi dispositio, qua quis paratus est voluntati Dei & Superiorum obsequi in omnibus, sic ut paratus sit omnibus mediis uti, quæ illi ad perfectionem conducibilia esse putarint, siue vilia, siue in speciem honorifica sint, de qua virtute differens B. Bernardus in sermone, quomodo voluntas tripliciter subiici debeat. *Rogo vos, inquit, fratres, diligenter attendite, quia nihil mihi occurrit, quod vtilius possit audiri. Vbi certa est Dei voluntas, omnino nostra sequatur, in his videlicet, de quibus certum aliquid in scripturis inuenimus, aut ipse spiritus manifeste clamas*  
in cor.

Luc. 1. 38.  
Act. 9. 6.  
Aug. 10. confes.  
c. 29.

Clim. grad. 4.

V. in obed.

Luc. 10. 16.  
Rom. 13. 2.

Bern.

in cordibus nostris, quid sentiendum sit, ut est caritas, humilitas, castitas, obedientia, hec approbemus indubitanter & appetamus, quæ Deo placere scimus indubitanter. Sed & ea omnimodis odiſſe debemus, de quibus certum est, quod oderit ea Deus, ut est apostasia, &c. In his verò rebus, de quibus nihil certum possumus inuenire, nihil certum voluntas nostra definiat pendeat inter virūque, aut saltem neutri parti nimis adhereat, cogitans semper, ne altera pars forte Deo magis placeat, & parati simus voluntatem eius sequi, in quamcumque partem eam cognouerimus inclinari. Bonum autem erit, subdit paulo post, si Dei seruus voluntatem suam suspensam tenuerit, donec Prælatus interroget, & ab eo querat Domini voluntatem, cui vice ipsius obedit. Vnde B. Basilius in regulis breuioribus posita quæstione, an religioso ministerium à superioribus assignatum recusare, & aliud postulare liceat, respondet. Cum obedientia vsq; ad mortem seruari debeat: qui quod sibi assignatum est recusat, & aliud ab eo diuersum exquirat, primum hic omnino obedientiam violat; & aperte declarat, nequaquam seipsum abnegasse, tum etiam aliorum complurium malorum cum sibi tum aliis auctor existit. Et Cassianus in institutionibus agens de monachis Scithi. Inter quos, ait, nunquam peculiare opus non dicam affectu, sed ne cogitatione quidem ab aliquo affectu abatur. Quicquid demum de ministeriis, vel aliis rebus præscribatur, id prudentiæ superioris committendum est, qui pro ratione sui muneris quo loco Dei fungitur id præscribet cuiq; quod ad maiorem gloriam Dei expedire videbitur. Qui in familia ceteris præest, ait B. Basilius in citatis regulis, & vniuersis, quæ facere illos oporteat, describit, maiore quadam cum animaduersione administrare munus debet, sollicitusq; & ut par est, in singulis aduigilet, quo pacto videlicet conuenienter voluntati Dei, & accommodatè ad naturam facultatemq; vniuscuiusq; habita communis boni ratione, munera singulis describat, imperetur.

Vide V. Amor sui. Curiositas. Familiaritas nimia. Immortificatio passionum. Inobedientia. Iudicium proprium. Peccatum. Voluptas carnalis.

## VOLVPTAS CARNALIS.

### Remedia contra volupt. carnis.

**I**REMEDIUM. Considera sacrarum literarum sententias, quæ improbant & damnant omnes voluptates & delicias carnis. Ac generatim quidem prolixè eas infectatur Ecclesiastes nomine vanitatis. *Vanitas vanitatum, iniquis, & omnia vanitas. Et. Dixi in corde meo. Vanitas vanitatum, iniquis, & omnia vanitas.* Et. *Dixi in corde meo. Vanitas vanitatum, iniquis, & omnia vanitas.*

Cccc

dam &amp;

dam & affluam deliciis, & fruar bonis. Et vidi, quod hoc quoque esset vanitas. Risum reputavi errorem: & gaudio dixi. Quid frustra deciperis? Et rursus. Aufer iram à corde tuo, & amoue malitiam à carne tua. Adolescentia enim & voluptas vana sunt. Et Iob. Laus impiorum breuis, & gaudium hypocrite ad instar puncti. Et Tenent tympanum & ciaram, & gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Et Christus Dominus apud Lucam. Vae vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Deinde Apostolus. Sicut in die bone ambulamus, non in incommensationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudiciis, &c. sed induimini Dominum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis. Et Manifesta sunt opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, veneficia, &c. ebrietates, commensationes, & his similia: quae predico vobis, sicut praedixi; quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Et Vidua, quae in deliciis est, viuens mortua est. Et B. Iohannes. Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo: quoniam omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vite. Et. Quantum glorificauit se (Babylon) & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.

II. REMED. Considera censuram S. S. Patrum. S. Basilius in exhortatione ad baptismum. Ne dicas. Bona quidem est lex, sed longe iucundius peccatum. Voluptas est veluti quidam hamus diaboli, ad perniciem nos trahens. Voluptas mater est peccati, peccatum autem stimulus mortis. Voluptas nutritrix est aeterni vermis, quae ad tempus quidem demulcet fruentem, ac postea felle amariore retributiones facit. S. Amb. epistola ad Sabinum. Non immerito sanctus Moyses delectationem serpentis figurauit similitudini. Prona est enim in ventrem sicut serpens, non pedibus incedens, aut vllis elevata cruribus, sed sinuoso flexu totius velut corporis sui lubrica. Ei terra cibus est, sicut serpenti, quoniam escam nescit caelestem. Corporalibus enim pascitur atque in varias mutatur species cupiditatum, & tortuosis angulatur anfractibus Venenum in dentibus habet, quibus vnusquisq; se euiscerat luxuriosus, belluo internecat, abliguritor perimit. Quantos ruperunt vina? dissoluit ebrietas, distendit cruditas? S. Chry. ad populum Antiochenum. Nihil demoni tam gratum, quam delitiae sunt & ebrietas, quoniam omnium est fons malorum & genitrix. Per hanc Israelitas demum in idolorum cultum precipitauit. Per hanc Sodomitas in nefarios accendit amores. Haec est enim, inquit, impietas Sodomorum, in superbia, satietate panum & conuiuio luxuriabantur. Per hanc alios perdit innumeros & gehenne tradidit. Quid enim mali non operantur deliciae? Ex hominibus porcos efficiunt, & porcis deteriores. Porcus enim inuoluitur in caeno, & stercore pascitur: hic abominabili magis vescitur mensa, illicitos excogitans coitus, & nefarios amores.

Huiusmodi

Ecl. 11. 10.  
Iob. 20. 5. & 21.  
21.

Luc 6. 15.

Rom. 13. 13.

Gal. 5. 19.

1 Tim. 5. 5.

1 Ioan. 2. 15.

Apoc. 18. 7.

Bas. hom. 13.

Amb. 1. 6. ep. 42.

Gen. 3. 14.

Chry. hom. 51.

Ezech. 16. 49.



Huiusmodi nihil à demoniaco differt; simili namque fertur impudentia, similique bacchatur furore: & demone quidem pressum saltem miseramur: hunc autem auersamur & odimus. Quid ita tandem? quia spontaneum ad se trahit furorem, & os, & oculos, & nares, & omnia generaliter diuersoria ductus & riuos facit furoris. S. Hier. in Iouinianum. Esus carni-  
Hier. lib. 2.  
 um, & potus vini, ventrisque saturitas, seminarium libidinis est. Vnde  
Terent. Eun.  
 & Comicus, Sine Cerere, inquit, & Libero friget Venus. Per quinque sensus, quasi per quasdam fenestras, vitiorum in animam introitus est. Non potest ante metropolis & arx mentis capi, nisi per portas eius irruerit hostilis exercitus. Horum perturbationibus anima praeuatur, & capitur aspectu, auditu, odoratu, sapore, tactu. Si Circensibus quispiam delectetur, si athletarum certamine, si mobilitate histrionum, si formis mulierum, splendore gemmarum, vestium, metallorum, & ceteris huiusmodi, per oculorum fenestras anima capti libertas est, & impletur illud propheticum. Mors in-  
1 Cor. 9. 21.  
 trahit per fenestras vestras, &c. Porro ciborum auaritas, quod auaritia mater sit, & animum quasi quibusdam compedibus degrauiatum in terra teneat, quis ignorat? Propter breuem gula voluptatem terra lustrantur & maria, & ut mulsum vinum, preciosusque cibus fauces nostras transeat, totius vita opera desudamus. Tactus autem alienorum corporum, & feminarum ardentior appetitus, vicinus insania est, S. Aug. de verbis  
Aug. serm. 17.  
 Apostoli. Delectant quaedam naturaliter infirmitatem nostram, ut cibus, ut potus delectant esurientes atque sitientes: ut nos delectat hac lux, qua de caelo funditur sole exorto, vel que sideribus & luna fulget, vel que in terra accenditur luminibus consolantibus tenebras oculorum. Delectat canora vox, & suauissima cantilena. delectat odor bonus, delectant etiam tactum nostrum, quaecunque pertinent ad carnis aliquam voluptatem, & haec omnia, quae nos delectant in sensibus corporis, aliqua licita sunt. Delectant enim, ut dixi, oculos, & spectacula ista magna natura, sed delectant etiam oculos spectacula theatrorum. haec licita, illa illicita. Psalmus sacer suauiter cantatus delectat auditum, sed delectant auditum etiam cantica histrionum. hoc licite, illud illicite. Delectant etiam conjugales amplexus, delectant etiam meretricum. Hoc licite, illud illicite. Videtis ergo carissimi etiam in istis corporis sensibus licitas esse & illicitas delectationes, Iustitia sic delectet, ut vincat etiam licitas delectationes, Auctor libri de disciplina &  
In Cypriano.  
 bono pudicitiae. Voluptatem vicisse, voluptas est maxima: nec ulla maior est victoria, quam ea, quae à cupiditatibus refertur. Qui hostem vicit, fortior fuit, sed altero, qui libidinem repressit, se ipso fortior fuit. Qui inimicum prostravit, externum hostem percussit. Qui cupiditatem depresso, hostem domesticum superauit. Malum omne facilius vincitur quam voluptas: quia illud quicquid est, horridum est, hoc blandum est.

- III. REMED. Considera dicta Philosophorum & Poetarum Ethnicorum. Aristoteles in Ethicis. *In omnibus, inquit, à iucunditate & voluptate maxime cauendum est: non enim de ipsa incorrupti iudicamus.* Et rursum ait, voluptates prudentiam impedire, eoq; amplius, quo quis magis eis indulget, *ut in venerearum rerum voluptate, in qua constitimus, inquit, nemo intelligere quicquam potest.* Quod etiam S. Augustinus in libris de ciuitate Dei annotauit. Idcirco Hippocrates, ut in commentario ibidem recitat Lod. Viues, coitum finiuit *μικρὸν Παισιον, paruum morbum comitalem.* Et apud Laertium, ac Clementem Alexandrinum Antisthenes Philosophus dicit se malle insanire, quam affici voluptate. Insaniam enim auferre medicum, voluptatem vero, cum mentem homini eripiat, vix sanabile malum esse. Epictetus in Enchiridio. *Si voluptatis alicuius imaginem animo conceperis, moderare tibi, ne ab ea mouearis. Sed & rem examina, & tibi ipsi prae delibrandi spacium. Deinde utriusque temporis memento, tum eius, quo voluptate fruieris, tum eius quo praecepta iam voluptate dolebis, teque ipse obiurgabis.* Plato. *Voluptas est malorum esca.* M. T. Cicero in libro de senectute probans senectuti non esse incommodum carere voluptatibus. *O, inquit, praeclarum munus aetatis, siquidem id auferit nobis, quod est in adolescentia vitiosissimum. Accipite enim, optima adolescentem veterem orationem Archiae Tarentini. Nullam cupiuiorem pestem, quam corporis voluptatem hominibus dicebat à natura datam. Hinc patriae prodiciones, &c. Et infra addit, virtutem in voluptatis regno non posse consistere: eam quo maior est, omne animi lumen extinguit, nihil esse tam detestabile & pestiferum.* Horatius. *Sperne voluptates, nec empti dolore voluptas.* Seneca ad Lucilium. *Voluptatem natura rebus necessariis admiscuit, non ut illam peteremus, sed ut ea sine quibus non possimus viuere gratiora nobis illius faceret accessio. Si suo veniat iure, luxuria est.* Et libro de beata vita. *Altum quiddam est virtus, excelsum, regale, inuictum, infatigabile: voluptas, humile, seruale, ambecillum, caducum, cuius statio ac domicilium fornices & popinae sunt. Virtutem in templo inuenies, in foro, in curia, pro muris stantem, puluerulentam, coloratam, callosas habentem manus: voluptatem latitantem sepius ac tenebras captantem, circa balnea ac sudatoria, ac loca edilem meruentia, mollem, eneruem, mero atq; unguento madentem, pallidam, fucatam, & medicamentis pollinctam.* B. Aug. commemorat Philosophos qui in voluptate summam felicitatem collocabant ab aliis fuisse confutatos pictura quadam, in qua voluptas tanquam Domina sederet in sella regia & vnicuiq; virtuti tanquam ancillae, quid ipsius causa oporteret facere, imperaret, ut vel eius spectaculi absurditate appareret, quam sit ab-

Arist. 2. Eth. c. ult.

Ar. 7. Eth. c. 11.

Ang. l. 14. c. 16.

Laert. l. 6. c. 1. Clem. l. 2. libro.

Epict. c. 56.

Cic. Caton. maior.

Sen. ep. 116.

Id. c. 7.

Aug. 5. ciu. Dei. c. 20.

fit absurdum voluptati vllum locum dignitas assignare. Hieron. ad Hier. lib. 2.  
 uersus Iouinianum prolixè scribit ad cauendas voluptates quid pri-  
 fci Philosophi fecerint. Pythagoræ, inquit, frequentias urbium decli-  
 nantes in solitudine & desertis locis habitare consueuerunt. Platonici quoq;  
 & Stoici in templorum locis & porticibus versabantur, vt admoniti augu-  
 stioris habitaculi sanctitate, nihil aliud, quàm de virtutibus cogitarent. Sed  
 & ipse Plato, cum esset diues, & thoros eius Diogenes lutatis pedibus concul-  
 caret, vt posset vacare Philosophia, elegit Academicam villam ab vrbe procul  
 non solum desertâ, sed & pestilentem: vt cura & assiduitate morborum libidi-  
 nis impetus frangeretur. discipuliq; sui nullam aliam sentirent voluptatem,  
 nisi earum rerum quas discerent. Deniq; B. Basil. agens de legendis gen- Basil. hom. 24.  
 tilium libris ex Prodicò Chio narrat. Quod iuueni quondam Herculi  
 secum consulenti ad vtram viarum se conuerteret, an ad eam, que ad virtu-  
 tem per labores ducit, an ad facilem per voluptates, duas ei fœminas, virtu-  
 tem ac voluptatem, quarum mox ex diuerso habitu differentiam agnouerit,  
 apparuisse. Altera quidem forma conspicua, molliore facie, lasciuis oculis,  
 sermone blando, omnia fausta, faciliq; & ad vitæ solatia tendentia pollicen-  
 do Herculem ad se trahere conabatur. Altera verò vultu rigido, squalenti  
 mœstog; ore, magnam fiduciam atq; constantiam præferens nihil iucundum,  
 nihil amœnum ostendebat, sed mille pericula, laboresq; immensos terra ma-  
 riq; subeundos: præmium tamen horum immortale, ad extremum verò mo-  
 rientem Herculem se secuturam, & inter Deos collocaturam recipiebat, hanc-  
 que secutum Herculem dicit.

IV. REMED. Recordatio terribilis iudicij extremi, & horren-  
 dorum inferni cruciatuum, in voluptarios inprimis à Deo decreto-  
 rum; iuxta illud Apocalypseos. *Quantum in delictis fuit, tantum illi da- Apoc. 18. 7.  
 te tormentum.* Hoc remedium ipse Ecclesiastes mortalium sapientif- Eccl. 11. 8.  
 fimus præscripsit, dicens. *Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus  
 letatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum, qui  
 cum venerint vanitatis arguentur præterita.* Exemplo sit epulo Euan- Luc. 16. 28.  
 gelicus, qui epulatus quotidie splendide sepultus est in inferno, & in  
 fumis tormentis existens hoc antidoto petiuit ab Abraham quin-  
 que fratres suos ad meliorem vitæ frugem reduci. *Mitte, inquit,  
 Lazarum, vt testetur illis, nempe quantas ob voluptates patiar cruce,  
 ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Vnde Hieronymus, in con- Hier. epist. 14.  
 solatione ad Iulianum. *Diuitem purpuratum gehenna flamma suscepit.  
 Lazarus pauper & vlceribus plenus, cuius carnes putridas lambebant canes,* Luc. 16. 21.  
*& vix de micis mense locupletis miserabilem sustentabat animam in sinu A-  
 braha suscipitur, & tanto Patriarcha parente letatur. Difficile imò impossi-  
 bile est, vt & presentibus quis & futuris fruatur bonis, vt & hic ventrem,  
 & ibi*

De libris in Io-  
uin.

& ibi mentem impleat, ut de delicijs transeat ad delicias, ut in vitro, secundo primus sit, ut & in caelo, & in terra appareat gloriosus. Et in Apologia ad Pammachium. Volumus opipare comedere, vxorum adherere complexibus, & in numero virginum & viduarum regnare cum Christo. Idem ergo habebit fames premium, & ingluuies, sordes & munditia, saccus & sericum. Lazarus recipit mala in vita sua, & diues ille purpuratus, crassus & nitidus, fructus est carnis bonis dum viueret, sed diuersa post mortem tenent loca. Misere delicijs, & deliciae miserijs commutantur. In nostro arbitrio est, vel Lazarum

Ambr. serm. 39.

sequi, vel diuitem, Eodem antidoto sanare cupiens B. Ambr. eos, qui negabant se posse vel hyeme vel aestate ieiunare, ita alloquitur. Dic mihi, o delicate Christiane, qui estum solis ieiunando ferre non potes, nunquid aestus, quem sustentaturus es, torrentior est gehenna? Nunquid hyems, cui re-  
trudendus es horridior est tenebris? in exteriores enim tenebras abijciuntur peccatores: ibi erit fletus & stridor dentium, sicut ait Dominus. Stridor in qua  
dentium instar hyberni temporis erit in illis tenebris. Et Chryl ad populum

Matth. 25. 38.

Chryl. hom. 22.

Antioch. Non decipiamus nos ipsos. Detur enim, quod per totam vitam nostram voluptati vacauerimus: sed quid ad infinita secula? Hic enim & bona & mala finem habent, illic autem immortales poena. Hic si ardeat corpus, egreditur anima: illic vero incorrupto resurgente corpore semper anima comburitur, & peccatores enim incorrupti resurgunt, non ut honorentur, sed ut immortaliter in tormentis permaneant. Si itaq; balnei vehementiorem vaporem non ferimus, quomodo feremus igneum flumen?

V. REMED. Considera deterrimos voluptatum effectus, a S. Patri-

Basil. in Psal. 33.

bus accuratè descriptos. Basilus. Oblectatio corporeae voluptatis plus doloris habet, quam iucunditatis. Nuptiae enim saepe steriles sunt, viduitates continent & supra. Agricultura sterilitatem, mercatura naufragia, diuitias infidias patiuntur: sed & deliciae & satietas, & continens voluptatum frui-

Chryl. hom. 54.

& 55.

multos ac varios secum trahunt morbos, ac affectionum varia genera. Chryl ad populum Ant. Quid non mali faciunt deliciae? sibiipsis contraria sunt. Vnde nescio, quomodo nomen hoc habeant: sed sicut gloria, cum ignominia sit, & diuitiae, cum sit paupertas, vocatae sunt: sic & deliciae, cum iniucunditas sit. Et rursus. Non tam vehementer fluuium aquarum cursus ripas corrudere solet, sicut deliciae & luxus omnia valetudinis nostrae firmamenta facile subruere. Si enim medicinalem ingrediaris officinam omnes ferè morborum causas illinc inuenies esse. Vilis enim tenuisq; mensa, ut loquuntur medicorum pueri, sanitatis mater est. Saturitas vero egritudinis mater est, morbosq; parit ipsorum quoq; medicorum artem transgredientes: pedum enim dolores, & capitis grauedines, & vertigines, & manuum cruciatus, & tremores, & remissiones, & estuosa febres, & alia his multa plura ex crapula & saturitate nasci solent. Si verò vis animi morbos inde nascentes videre, auaritia, mollitia, melas-

melancholie, ignavia, omnes ignorantia hinc habent principium, nihil namque sunt asinis meliores animi talium mensarum delicias sectantes. Et in homilia, quod nemo læditur, nisi à seipso. Meretricem ego appello vitā hanc, quæ in delirijs & affluentia diuitiarum, & huius seculi potentia ac voluptate transigitur. Et non solum meretricem eam nomino, sed & turpissimam atq; obscenissimam meretricem, cuius facies fada, horrida, aspera, amara, crudelis, & in hoc maximè est, in quo sine venia habendi sunt cuncti, quos decipit: quod cum tam turpis sit eius vultus, barbarus ac truculentus, tamen multi ab ea capiuntur. Et cum videant apud eam cruenta omnia, periculis, mortibus & precipitijs plena, cumq; eam stipari videant sodalibus pessimis, contumelijs dico, liuore, insidijs, metu iugi, tremore frequenti, & mille alijs huiusmodi insauis confortibus velut anguim corona circumdari, fructum verò in his nullum alium, nisi interitum esse, perniciemq; perpetuam, expetitur tamen à pluribus & amabilis exoptabilisq; habetur.

VI. REMED. Considera exempla eorum, quibus voluptatum carnalium abusus perniciem attulit. Primum sit primi parentis nostri Adæ, de quo contra Iouinianum ita Hier. *Docebo primum Adam in*

Hier. lib. 2<sup>o</sup>  
Genes. 2. 26.

*paradiso accepisse preceptum, ut cetera poma comedens ab vna arbore ieiunaret. Beatitudo paradisi absq; abstinentia cibi non potuit dedicari. Quamdiu ieiunauit, in paradiso fuit: comedit & eiectus est: eiectus statim duxit uxorem.*

*Qui ieiunus in paradiso virgo fuerat, satur in terra matrimonio copulatur.*

Et Ambr. ad Sabinum. *Quod si primus ille homo, quicum Deo loquebatur*

Ambr. l. 6. ep. 42.

*in paradiso positus labi tam facile potuit, ex terra creatus virgine, quæ ad verbum Dei formata & creatæ recentis fuerat exortu, nondum ea parricidali, cædiumq; concreta sanguine, flagitijs & dedecore polluta: quanto facilius postea lubrica ad peccandum via maius adnexit humano generi precipitium, cum deterior tolerabiliori per vices generationis successerit?*

Alterum sit Esau de quo Basilus in regulis fufius disputatis. *Esau etiam vitio, quasi ma-*

Basil. q. 16.  
Gen. 25. 33.

*ximum malorum omnium, data incontinentia est, qui vno serculo primogenita sua vendidisset. Et Hier. loco citato. Cur perdidit Esau primogenita sua? nonne propter cibum? impatientiamq; gula lacrymis emendare non potuit.*

Hier. in Iouin.

Tertium sit Israelitarū, de quibus idem. *Eiectus de Aegypto populus Israel, & in terram repromissionis lacte & melle manantem introducendus,*

*Aegyptias carnes, & pepones, alliaq; desiderat. Vinam, inquit obijsemus percussi à Deo in terra Aegypti, quando super ollas carniū sedebamus. Et iterum.*

*Quis nos pascet carnibus? Venerunt in mentem nobis pisces, quos in Aegypto comedebamus gratis, & cucumeres, & pepones, & porri, & cepe, & allia. At nunc anima nostra arida, nihil nisi manna oculi nostri conspiciunt, angelorum cibum contemnentes, carnes Aegyptias suspirabant, &c. Ingrassatus est, & pinguefactus & dilatatus, & recalcitravit dilectus, & dereliquit Dominū qui fecerat*

fecerat

Hier. ep. 22.  
Basil. ep.

P. Dam. libr. 7.  
epist. 19.

fecerat eum & abscēssit à Deo salutarī suo. Quartum sit regis Salomonis, de quo idem ad Eustochium, de custodia virginū. *Solus in delicijs Solomon fuit, & forsit an ideo corruit.* Et Basilius ad Chilonem anachoretam. *Salomoni quid attulit commoda frugis exuberans adeo opulentiā infuse sapientiā, & quæ vix dum adolescenti cœlitus de Deo cognitio indulta est, quando is demum per mulierculæ, quam ad insaniam vsq; deperibat, iūces complexus, ex cordatissimo adolescente per atatem in senium deuergentem vecors factus, & in idololatriam prolapsus concidit?* Postremum sit recentius de vxore Ducis Veneti à Petro Damiano Cardinale descriptum ad Blancam Comitissam. *Ducis Venetiarum vxor, quæ erat Constantinopolitana, tam delicate, inquit, viuebat, vt etiam communibus aquis sese dignaretur abluere: sed eius serui rorem cœli sat agebant vndiq; colligere, ex quo laboriosum satis sibi balneum procurarent. Cibos quoq; suis manibus tangebant, sed ab eunuchis alimenta quæq; in minuta concidebantur frustis: quæ mox illa quibusdam fuscinulis aureis atq; bidentibus ori suo ligentibus adhibebat. Eius porro cubiculum tot thymiamatum, aromatumq; generibus redolebat, vt & vobis narrare dedecus fatear, & auditor forte non credat. Sed omnipotenti Deo, quantum huius femina exosa fuerit superbiā manifesta docuit vlciscendo censura. Vibrato quippe super eam diuini mucrone iudicij corpus eius omne computruit, ita vt membra corporis vndique cuncta marcescerent, totumq; cubiculum intolerabili prorsus fetore complerent, si quispiam tantam perferre narium iniuriā potuit: non cosmeta, non seruulus, vix vna duntaxat ancilla non sine specie redolentis auxilio in eius absque quij sedulitate permansit. Eadem tamen raptim accedebat, & protinus fugiens abscedebat: diutius enim hoc languore decocta & miserabiliter cruciata, amicis quoq; letantibus, diem elausit extremum. Quid ergo sit caro, docet ipsa caro, quodq; perhibet mortua, testetur & vna. Habes ibidem & alia exempla.*

Basil. in reg. t.  
disp. q. 16.

1. Cor. 9. 27.

VII. REMED. Continentia, & castigatio carnis. Continentia autem nomine cum Basilio intelligimus eam, qua tollendæ contumacia corporis causa pietatis ergo de industria sequimur rerum voluptatem utilitantum abstinentiam. Ea, inquit, absolutæ continentie ratio est, vt lingue, vt oculis limites prescribat, vt auribus minimè curiosam indulgeat auscultationem, & singulis his cancellos ipsorum officij quasi quosdam circumscribat: extra quos, qui egressus sit, is incontinens ac petulans est. Et rursum Castigatio præterita corporis, & in seruitutem illa redactio nulla re aut opere efficitur, quàm continentia. Siquidem feruor ille, qui in iuuenibus vigeri solet, ita emq; difficilis ad coercendum ad libidines impetus continentia veluti quodam freno cohibetur. Non enim, vt ait Salomon, inutiles sunt stultæ delicta. Quid autem carne, qua molliter accuretur, & iuuentutis astu temerè

huc illucq; agitetur, fingi stultius potest? idcirco Apostolus dicit. Et carnis  
 curam ne feceritis in desiderijs. Et que in delicijs est, viuens mortua est. Et Rom. 13. 14.  
 alibi in homilia de legendis gentilijs libris. Est totum corpus castigandum, ac fere cuiusdam instar cohibendum, & ab ipso aduersus animam tumultus  
 orientes ratione veluti flagello compescendi, ne frenum voluptati omnino  
 laxando mens velut auriga ab equis contumacibus misere rapiatur, ac inter  
 cetera Pythagora meminisse dicti oportet, qui videns quendam se cibis laute  
 curantem ac saginantem. Heus, inquit, miser, non desinis continuo dario rem  
 tibi carcerem preparare? Ambrosius de Elia & ieiunio. Castigemus corpus  
 nostrum ieiunijs, fugiamus indecoras comessationes: caueamus, ne nobis dica-  
 tur. Plulate à vino. Ne veniat Moyses, & Leuitas aduocet: & quicumq; para-  
 tus ad Dominum armatam dexteram gerat, sparare se ab his, qui manducan-  
 do & bibendo grauiam contraxere peccata. Et iterum. Nemo amarioribus pre-  
 optet dulciora. Dulcis voluptas videtur amarum ieiunium. Hoc amarum il-  
 lud dulce tollatur. Solent amara etiam ipsis plus prodesse corporibus. Sicut enim  
 cum in intimis puerorum visceribus vermes ex cibi indigestione nascuntur,  
 extingui non queunt, nisi cum amarior potus infunditur, aut medicamento-  
 rum vis inolefcit asperior, quorum odore moriantur: ita profundum animae  
 virtus ingressa ieiunij, culpam latentem interficit. Hier. ad Furiam, de vi-  
 diuitate Ieruanda. Quicquid facit seminarium voluptatum, venenum pu-  
 ta. Parcus cibus, & venter semper esuriens triduanis ieiunijs praefertur. Et mul-  
 to melius est quotidie parum, quam raro satis sumere. Pluuia illa optima est,  
 quae sensim descendit in terram. Subitus & nimius imber in praecipua sub-  
 uertit. Deniq; Chryf. ad populum Antioch. Euaserunt Dei minas Nini-  
 uae per ieiunium, meretrix Dominum lacrymis conciliauit. Paulus peccatum  
 confitens penitentium fit doctor. latro credens paradisi ciuis factus est. Hec  
 medicamina capientes vulnera nostra curemus dicentes. Sana me Domine &  
 sanabor. Et sana animam meam, quia peccaui tibi. Suscipiens enim medicus  
 dicit. Ego sum qui deleo peccata tua, nec amplius recordabor. Vides, quot tibi  
 medicinas medicus parauit? Ipse elige, quam vis. Auxiliorum tibi varietatem  
 iuxta vulnerum differentiam demonstrauit. Si non potes eleemosynas facere,  
 compungere. Si non potes ieiunare sicut Ninuiuae, saltem vt meretrix pecca-  
 ta lacrymis abluat. Si ieiunare non potes, eia ad misericordiam Dei confuge,  
 cum Dauide dicens. Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam  
 tuam. Non est enim viperæ morsus, vt super ipsum medicinam imponam, nec  
 macula ex luto facta, vt ipsam aqua abluam, sed ex diaboli morsu vulnus egens  
 clementiae tuae misericordia. Tantum accede petens, & oleum instillabit beni-  
 gnus, qui dixit. Si conuertatur impius à via sua mala, non recordabor iniqui-  
 tatum eius, quas commisit. Tantum vulnus reuella, & dic. Miserere mei Deus  
 propter naturae infirmitatem, & propter tuam bonitatem. Tantum desidera  
 curari.

Ambr. c. 22.

Hier. epist. 22.

Chryf. hom. 22.

Ioan. 3.

Luc. 74.

2. Tim. 1.

Luc. 21.

Ierem. 17.

Psal. 40.

Hebr. 10.

Psal. 50. 6.

Ezech. 33. 13.

Dddd

curari.

curari. Salutem enim tuam Medicus querit, qui errantem ouem conuertit, qui ad malos & bonos vocandos in bivia misit. Ecce & nunc ubi vendit regnum caelorum. Si non habes obulum vnde emas, eme gemitu. Fragmento panis caelorum regnum tibi retribuit, &c.

VIDE V. Amor sui. Chorea. Ebrietas. Gula. Luxuria. Festiulatus. Voluntas propria.

## VOTI VIOLATIO.

## Remedia aduersus Voti Violationem.

Pro. 6. 12.

Pro. 17. 8.

Ecl. 10. 4.

Ecl. 11. 22.

1. Cor. 7. 20.

Num. 30. 3.

Deut. 23. 21.

Iob 22. 17.

Psal. 75. 12.

Ecl. 5. 3.

Pro. 20. 25.

Luc. 9. 62.

1. Tim. 5. 11.

**I**REMEDI. Considera Spiritus S. oracula, diuinis scriptis consignata. Ac primò quidem ijs accuratè describuntur mores apostatae, desertoris, scilicet, vel fidei Catholicae, vel fidei Deo datae per votum castitatis aut religionis. Homo apostata, ait Salomon, vir inutilis, graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum. & omni tempore iurgia seminat. Et rursus. Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir qui derelinquit locum suum, id est, qui deserit statum suum & vocationem, incertis vagatur sedibus, multis obnoxius periculis & damnis. 2. hortantur ad perseuerantiam in suscepto semel vitæ instituto. Si Spiritus, inquit Ecclesiastes, potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris. Et Syracides. Ne manseris in operibus peccatorum: confide autem in Deo, & mane in locum. Et Apostolus. Vnusquisq; in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. 3. docent, Vota semel Deo facta, esse reddenda. Vt in Numeris. Si quis virorum votum Domino vouerit, aut se constrinxerit iuramento: non faciet irritum verbum suum, sed omne quod promissit implebit. Et in Deuteronomio. Cum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requirit illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Et apud Iob. Rogabis eum, nempe Deum, & exaudiet te, & vota tua reddes. Et in Psalm. Vouete, & reddite Domino Deo vestro, omnes, qui in circuitu eius offertis munera. Et apud Ecclesiasten. Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis & stulta promissio, sed quicumq; voueris, redde. multoq; melius est non vouere, quam post votum promissa non reddere. 4. declarant desertores sui status, vel votorum, reos esse exitij æterni. Salomon enim sic loquitur. Ruina est homini deuorare sanctos, & post vota retractare. Et Christus apud Lucam. Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. Et B. Paulus. Adolescentiores viduas deuita: cum enim luxuriata fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.



fecerunt. Primam fidem, id est, votum castitatis, vti Patres exponunt. Et S. Ioannes in Apoc. Memor esto, unde excideris, & age penitentiam, & Apoc. 2. 5. prima opera fac: sin autem, venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi penitentiam egeris.

II. REMED. Considera, quid aduersus Votifragos scripserint prisci Patres, qui omnes minimum castitatis voto se Deo obstrinxerunt. Primus sit S. Greg. Thaumaturgus in Ecclesiasten. Pollicitatio, Greg. in Eccles. c. 1. inquit, voto facta finem per opus accipiat. Est hoc stultorum proprium, vti reiecti sint. Ac tu promissi veritatem presta, sciens longè tibi satius esse non vouere, nec facturum aliquid polliceri, quam post conceptum votum id relinquere. S. Basilii in Constitutionibus monasticis. Illud certissimum Basil. c. 22. tenendum est, cum qui semel spiritualis fratrum Societatis coniunctione, copulatus, obligatus sit, ab ijs, quibuscum iunctus sit, sine scelere abscindere se, aut segregare non posse. Et paulò post. Quemadmodum membra corporis nature vinculo coniugata à corpore auelli non possunt: aut si auellantur, que auulsa sunt ea emortua sint necesse est; ita quoque, monachus quotiescunq, reliquorum fratrum corpori coniunctus est, & firmiore, quam sit vinculum nature compage vinctus teneatur, nempe, ex pacto, quod is cum spiritu sancto contraxit, nullo modo putandus est ab ijs posse se diuellere, quibuscum copulatus sit: alioqui si hoc facit, & anime vitam amittit, & vna cum ea gratiam Spiritus sancti, utpote qui initum ipso auctore sedus violauerit. S. Ephram Ephr. tom. 1. in adhortatione de non scandalizando proximo. Non decet eos, qui ad Luc. 9. 62. pietatis studium accedunt, & manum ad aratrum ponunt, retro conuerti, eorundemq, studium Deo complacendi impedire, sed ad perfectionem potius similes sunt dirigendi, cum de talibus dictum reperitur. Quoniam qui vos Zach. 2. 8. tetigerit, tanquam qui tangit pupillam oculi mei. S. Ambrosius ad virginiem deuotam. Deuonisti animam tuam ad destruenda omnia, que sunt huius seculi, quid autem queris seculum, cui renunciaasti? Reuerti vis ad vomitum tuum, sicut canis, aut velut sus lota iterum in volutationem, sicut scriptum est dicente Apostolo. Si que destruxi, iterum readificabo, prauaricationem legis me constituo. Iterum ipse repetit, dicens. Quicquid in seculo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum: quod non est de Deo, sed de hoc mundo est. Et alibi dicit. Si quis voluerit amicus esse huius mundi, inimicus Dei constituetur. Quid dicis deuota Deo? Quid vis hominibus placere? Quid desideras, vel quid queris? Si Deum queris, tecum est: si autem hominem queris, hoc non deuonisti. Qui sunt homines? homines huius seculi, & seculum transit, & concupiscentia eius. S. Chrys. exponens verba Psalmi. Et Chrys. in Pl. 79. redde altissimo vota tua. Hic dicit supplicationes, vti in oratione assiduo persueremus, & qua professi fuerimus cum celeritate reddamus. Pulchre autem dixit, redde: post promissionem enim efficitur debitum. Ita etiam Anna reddidit

1. Reg. 1. 25.

filium, ut debitum maximum. Tu ergo, siue promittas eleemosynam, siue vitam pudicam, siue aliquid aliud tale, ad id exoluendum festina. Si quis autem exactè perpenderit, et si minimè promittatur, virtus tamen ei debetur. Id autè

Luc. 17. 10.

Christus significans dicebat. Quod debuimus facere, fecimus. At qui dixit parabolam serui, cui erat minimū imperatum ministeriū, nempe ut non accumberet, sed irāsiret & ministraret. Porro autè quidam alius quog, dicit. Ne tardaueris reddere votum tuū. Pollicitus es? redde, ne forte mors te inuadat, & id

Eccl. 5. 3.

rescindat. Et quid ad me, inquis? Vita enim non erat in mea potestate. Ex isto differre non oportuit, dum cogitas esse incertum exitum, & non esse in tua potestate aut viuere, aut hoc è loco excedere. S. Epiphanius in Panario. Tradiderunt sancti Dei Apostoli peccatum esse post decretam Virginitatem ad nuptias reuerti. Et infra. Si que vidua fuit, ac Deo dicata, & postea nupsit, iudicium & condemnationem habebit, quod primā fidem reiecit: quanto magis que Deo

Epiph. hzt. 61.

dicata virgo fuit, & nupsit, contra Christum lasciuuit, & maiorem fidem reiecit, & iudicium habebit? S. Hier. contra Iouinianum. Et si nupsit Virgo, ait Apostolus, non peccauit. Non illa virgo, que semet Dei cultui dedicauit. Harum enim si qua nupsit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit. Si autem hoc de viduis dictum obiecerit, quanto magis de virginibus

1. Tim. 5. 11.

preualebit: cum etiam his non liceat, quibus aliquando licuit? Virgines enim, que post consecrationem nupsint, non tam adultere sunt, quam incestuæ. S. Augustinus ad Armentarium Riparium, qui cum vxore vouerat castitatem. Quia iam vouisti, iam te obstrinxisti, aliud tibi facere non licet. Priusquam esses voti reus liberum fuit, quo esses inferior: quamuis non sit

Hier. lib. 1.

1. Cor. 7. 28.

gratulanda libertas, qua fit, ut non debeat, quod cum lucro redditur. Nemo verò quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam inuitiam inuitis, sed à magna iniquitate deterreo. Modo autem tantum, quod absit, inferior, si fidem Deo fregeris, quanto beator si persolueris. Nec ideo te vouisse pœnitentiam, imò gaude iam tibi sic non licere, quod cum tuo detrimento licuisset. Aggredere itaq, intrepidus, & dicta imple factis, ipse adiunabit, qui vota tua exspectat.

1. Tim. 5. 11.

Felix est necessitas, qua in meliora compellit. Et in Psalmos. Alij Virginitatem ipsam ab ineunte etate vouent, ut nihil tale vel experiantur, quale illi (coniugati) experti sunt, & reliquerunt, & isti vouerunt plurimum. Alij vouent domum suam esse hospitalem omnibus sanctis aduenientibus; magnū in votum vouent. Alius vouet relinquere omnia bona sua distribuendo pauperibus, & ire in communem vitam, in societatem Sanctorum; magnum votum vouit. Vouete & reddite Domino DEO vestro. Quisque quod conuenerit, conueat, illud attendat, ut quod vouerit reddat. Vnusquisque Deo quod vouet, si respicit retrorsum, malum est. Et rursus. Nemo ergo potius in monasterio frater, dicat: recedo de monasterio: neq, enim soli, qui sunt in monasterio, perueniunt ad regnum celorum: & illi, qui ibi non sunt, ad Deum

Ang. ep. 45.

Id. in Psal. 75.

ad Deum

ad Deum non pertinent. Respondetur ei. Sed illi non vouerunt, tu uouisti, tu retro respexisti. B. Bern. ad Fulconem puerum monasterii deserto-  
 rem. Disce in Euangelio, quod non liceat retro aspicere ei, qui semel manum  
 ad aratrum misit, &c. Iuste exigitur ad soluendum qui non cogitur ad uouen-  
 dum. Nam etsi cum pulsares non repuli, tamen ut intrares, non compuli. Non  
 licet ergo dimittere, quod sponte promissisti. Non est fas requirere, quae per te  
 dimissisti.

Bern. ep. 2.  
 Luc. 9. 62.

III. REMED. Considera cum arctior sit cum Deo per Vota, quam  
 inter coniuges per Matrimonii foedera, coniunctio, quantam eorum  
 violatione indignationem apud Deum incurrere queas. Si superue-  
 niens maritus, inquit D. Cyp. in epistola ad Pomponium, sponsam su-  
 am iacentem cum altero videat, nonne indignatur & fremit? & per zeli do-  
 lorem fortassis & gladium in manum sumit? Quid? Christus Dominus, &  
 iudex noster, cum virginem suam sibi dicatam, & sanctitati sua destinatam  
 iacere cum altero cernit, quam indignatur & irascitur, & quas penas ince-  
 stis eiusmodi coniunctionibus comminatur? Et B. Basilius in Constitution. Bas. c. 22,  
 monasticis. Si homines saepenumero, ubi semel se in coniunctionem fragilis  
 vita huius dederunt, ab ea se amplius propter inita ex pacto inter se foedera,  
 separare non possunt, (alioqui qui hoc facit, is statutus penis obnoxius fit) sine  
 dubio multo magis, qui de spiritalis conuictus unione foedus inierit, cum ea  
 indissolubilem ac perpetuam habeat coniunctionem, ei seiungere se, praece-  
 dere ab his non licebit, quibuscum unum ueluti corpus est effectus. Alioqui  
 si hoc facit, grauissimis se à Deo constitutis suppliciis addicit. Si enim mulier  
 ad viri Societatem lege Matrimonii prouecta, & una cum eo copula carnali  
 coniuncta, morte multatur, si ei insidias fecisse deprehensa sit: quanto is ma-  
 gis subiacebit poena grauiori, si se abiunxerit, qui spiritali communionem co-  
 pulatus sit, teste atq. sequestri ipso Spiritu sancto? Alibi uero Deum sic ex-  
 postulantem cum uirgine lapsa inducit. Dicit omnino etiam nunc Do-  
 minus. Duo mala perpetravit Virgo. Me dereliquit uerum sanctarum ani-  
 marum sanctum sponsum, & aufugit ad impium anime simul & corporis  
 corruptorem. Defecit à Deo Salvatore suo & exhibuit membra sua mancipia  
 immunditiae, & iniquitati ad iniquitatem. Mei oblitae est, dicit Dominus, &  
 ad amatorem suum transiuit. Expediret ipsi, ut mola asinaria circa collum  
 ipsius appensa esset, & in mare proiectus esset, potius quam uirginem uitiasset.  
 Quis prado ad tantam dementiam perductus est, ut ipsa Dei donaria contin-  
 geret: non supellectilem inanitatam, sed corpora uiuentia, & animam in-  
 habitantem habentia factam ad imaginem Dei? Quis ab aeterno auditus est  
 in media ciuitate, & serena meridie, imagini regiae formas immundorum  
 porcorum inscribere ausus esse? Si quis humanas nuptias ignominia affecit, ci-  
 tra miserationem coram duobus aut tribus testibus moritur: quanto peiore

Cyp. ep. 62.

Bas. c. 22,

Id. epist. ad la-  
 psam.

Matth. 23. 6.

supplicio dignus censetur, qui filium Dei conculcauit, & desponsatam ipsi sponsam adulterio contaminauit, & spiritum virginitatis contumelia affectit?

IV. REMED. Considera votifragum, vel Apostatam atrociori scelere quam furti, sacrilegii, adulterii & incestus se obstringere. Sic enim scribit B. Ephraem in adhortatione prima ad nouitium monachum. Corpus ab omni cogitatione peccati custodiat: nec creatori suo meriatur. Donum enim nos ipsos obtulimus Domino, nec, amplius corporis nostri potestatem habemus. Quemadmodum enim, si quis votum uouens Deo munus Domino obtulerit, quod Sacerdos acceptum, in templo seponit; siq; postea penituerit eum qui munus obtulit, non amplius in sua potestate iam est auferre donum, postquam Domino illud obtulit: adeo ut si occultè hoc suffragari molitus fuerit, non iam quasi suum auferre velit, à culpa absoluetur, sed velut sacrilegus punietur. Sic quoque, qui Deo animas suas consecrarunt corporis sui potestatem amplius non habent. Et S. Ambrosius ad Virginem laplam. Virgo, qua se spondit Christo, & sanctum velamen accepit, iam nupsit, iam immortaliter iuncta est viro. Etiam si voluerit nubere communi lege coniugii, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur. Si hoc ita est, quid de illa dicendum est, quae occulta & furtiua turpitudine constupratur, & fugit se esse, quod non est: habitu virgo, facto non virgo, bis adultera, & in actu, & in aspectu. Deinde B. Chrysostr. ad Theodorum monachum. Te iam seruare non conuenit priuilegia nuptiarum. Angelorum enim Societas semel iunctum illam relinquere, & uxoris laqueis implicari adulterii crimine incurre est: quamuis frequenter hoc ipsum nuptias voces, ego tamen illud & adulterio tanto peius affirmo, quanto maior ac melior mortalibus Angelus. Et quid mirum, si nuptiae tales, quibus offenditur Deus, adulterio comparatur? Maius longe audies. Homicida iustorum laude donatur, & misericors plus quam homicida punitur: quoniam hoc vetante fit Domino, istud volente. Phinees enim ad iustitiam reputatum est, quod impudicum cum turpi femina virum vno gladio percussisset. Saulem autem Samuel damnatione liberare non potuit, quoniam hostium duci, quem debuerat trucidare, inuito parentum credidit Deo. Et S. Aug. in Psalmos. Virgo, inquit, quae si nuberet, non peccaret: sanctimonialis si nupsit, Christi adultera reputatur. Et auctor sermonum ad fratres in eremo, apud eundem. Ego qui cotidie videor monachus, si rupeo propositum meum, Christum negavi. Incestum deniq; violationem voti supra comparauit B. Cyprianus & Hieronymus.

V. REMED. Considera, quot & quantis beneficiis ornamentisque spiritalibus se spoliet, qui sacra votorum vincula, quibus Christo erat alligatus, semel diruperit. Ea ut virgini lapsae in mentem reuocaret

Eph. rom. 2.

Amb. c. 5.

Chry. ep. 6.

Psal. 205. 37.  
1. Reg. 15.Aug. in Psal. 83.  
ad. item. 60.

reuocaret B. Basilius sic eam alloquitur. *Reuoca in memoriam honestam professionem, quam professa es coram Deo, & angelis ac hominibus. Reuoca in memoriam venerandam congregationem, & sacrum Virginum chorum, & Concilium Domini, & Ecclesie sanctorum, &c. & Angelicum circa Dominum cum illis tripudium, & spiritualem in carne vitam, & caelestem in terra conuersationem. Recordare dierum carentium tumultu, & noctium illuminatarum, & cantilenarum spiritualium, & psalmodie sonora, & orationum sanctarum, & cubiculi casti, & virginici progressus, & mensa temperantis. Vbi est reuerendus ille tuus habitus? Vbi honesti mores, & vestis frugalis virginem decens? & honestus expudore rubor, & decorus ex continentia ac vigiliis afflorescens pallor, omni coloris bonitate gratiosior elucescens? Quoties in orationibus pro conseruanda virginitate impolluta lacrymas effudisti? Quot litteras ad sanctos saepe exarasti, per quas pro te orari petisti, non ut nuptias humanas assequeris, sed ut a Domino Iesu non excideres? Quot vero munera a sponso accepisti? quid opus est dicere honores propter illum ab his qui illius sunt susceptos? conuictus cum virginibus? encomia ob virginitatem? virgineas benedictiones? At nunc modica aura aerit Spiritus, qui nunc in filiis inobediencia operatur, suscepta, omnia illa abnegasti. Haud secus B. Amb. suam Virginem lapsam allocutus est. Vnde incipiam? quod primum, quod vltimum dicam? Bona commemorem, quae perdidisti, Amb. c. 8. an mala desiteam, quae inuenisti? Eras Virgo in paradiso Dei, utiq. inter flores Ecclesiae, eras sponsa Christi, eras templum Dei, eras habitaculum Spiritus sancti. Et cum dico, totiens eras, necesse est ut totiens ingemiscas, quia non es, quod fuisti. Incedebas in Ecclesia tanquam columba illa, de qua scriptum est. Penne columbae de argentea, & posteriora dorsi eius in pallore auri. Splendebas ut Pal. 67. 17. argentum, fulgebas ut aurum, quando cum sincera conscientia procedebas. Eras tanquam stella in manu Domini, nullum ventum, nullius belli nebulas pertimescebas. Quae est ista subitanea conuersio? Quae est ista repentina mutatio: De Dei virgine facta es corruptio Satanae, de habitaculo Spiritus S. tugurium diaboli. Quae incedebas ut columba, nunc lates in tenebris sicut stellio. Quae fulgebas ut aurum propter virginitatis honorem, nunc vilior facta es lutoplastrarum, ut etiam indignorum pedibus conculceris. Quae fueras stella radians in manu Domini, veluti de alto ruens caelo, lumen tuum extinctum est, & conuersa es in carbonem.*

VI. REMED. Considera, quanto cum scandalo & probro suo, sociorum, parentum, fratrum cognatorumq. quiuis apostata vota Deo semel facta rescindat. Pergit enim S. Ambrosius lapsam suam Id. c. 3. pudefacere his verbis. *Aspice quis sanctorum, aut quae sanctarum tibi approximare non horreat, aperi oculos tuos si potes, erige frontem, uales aliquem sanctorum fiducialiter intueri? nonne tuam faciem conscientiae*

conuictissimam

cap. 4.

commissum tanquam plumbum inclinatur & premitur? nonne timor & tremor animam tuam, & membra quassant? Et paulo post. Non istam confessionem de te tuus expectauerat pater, qui te sibi singularem gloriam comparabat. Non hunc luctum, & hac lacrymas ex te sibi nasci tua crediderat mater, qui partus sui gemitum per suam virginitatem consolabatur. Non fratres tuos non sorores hoc ex te dedecus expectabant, quos omnes quasi uno gladio tu sceleris grauiter sauciasti. Si fuisses communi sorte defuncta, stessent te medicum propter desiderium parentes, sed exaltassent granditer, quia immaculatam promiserant virginem, hostiam viuam, Domino propitiatricem suorum videlicet delictorum. At nunc plangunt mortuam, & non mortuam: lugent viuam, & non viuam. Mortuam utique gloria virginitatis, viuam dedecore turpitudinis. Ingratus est pater suis visceribus, de quibus natus es, maledicti suo utero mater, ex quo in hanc lucem infeliciter processisti. Nec tamen modum suo dolori reperiunt, nisi hoc solum plane videntur habere solatum, quia te nec pater compulit, nec mater coegit, ut virginitatem profitereris, quam vltro & propria voluntate professa es. Nam scio, cum cunctas difficultates tibi tuus genitor proponeret, cum arduum esse iter seruande virginitatis ingereret, te non solum pertinaciter perstitisse, sed etiam reuelationes tibi distulisti datas terribiles. In quantum tibi ergo sperabant mercedem ex eo, quod tuo proposito resisterunt, in tantum tibi intellige miser pondus iudicij crescere, quia non seruasti quod vltro promissisti. Et iterum multo inferius. Eundem, inquit, si tibi solum damnum fecisses, erat equidem tristitia, sed forsitan tolerabilis. Nunc vero quantas animas tuo scelere sauciasti, quantas animas propter te de proposito, uo penitere fecisti? Quanta labia etiam fidelium inquinata sunt, viam Domini blasphemando? Aperuit in nos gentiliis os suum: aduersus sanctam Ecclesiam synagoga Iudeorum (& hereticorum) per tuum dedecus exultauit. Quod si is, qui vnum scandalizauerit mola circumligatus iactari debet in mare, quid de te pronuncias, per cuius scelus omnis anima sauciata est, & nomen Domini in gentibus blasphematum est?

Id. 7.

Matth. 18. 6.

Aug. ep. 137.

Apoc. 22. 11.  
B. const. mon. c.  
22.

VII. REMED. Considera, quotquot religiosum vitæ institutum per vota simplicia vel solemnia semel susceptum temere deserunt in dies fieri deteriores, ut obseruauit S. Aug. in epistola data ad clericum, & plebem Hipponensem. Simpliciter, inquiens, fateor caritati vestre coram Domino Deo nostro, qui testis est super animam meam, ex quo Deo seruire cepi, quomodo difficile sum expertus meliores, quam qui in monasteriis profecerunt, ita non sum expertus peiores, quam qui in monasteriis deciderunt, ita ut hinc arbitrer in Apocalypsi scriptum. Iustus iustior fiat, & sordidus sordescat adhuc. Augustino consentit B. Basilius ita scribens. Cui semel defectio animi assueuerit, is vitiorum omni genere cumulat, & intemperantia, auaritia, edacitate, falsitate, omniq. morum peruersitate, & postremo

postremo extremis malis infexus in profundum nequitie abijt preceps. Et infra idem docet, Originem istiusmodi consilii, de segregando videlicet se à spirituali cætu, nihil aliud esse, quam vitiorum intemperantiam, & laborandi fugam, & iudicii corruptelam, instabilitatemq̃. Vnde B. Amb. exponens verba Psalmi. Mei autem pœnè moti sunt pedes, paulo minus effusi sunt gressus mei, in hunc modum depingit apostatarum mores. Nonne de his pulchrè dicitur, quia effusi sunt processus eorum, quorum spes lapsa, in vanum effusus labor, vota sunt destituta? Considera enim aliquem per aliquot annos habuisse studium probitatis, castitatis custodiam, vitæ attentioris affectum, pie propositum seruitutis, sedula obseruationis officium, subitoq̃ eum esse mutatum, discessisse de monasterio, valedixisse ieiunio, continentie renunciaſſe, indulgere delitiis, studere luxuria. Dudum de monasterio exierunt, & nunc luxuria sunt magistri, disseminatores incontinentie, incentores petulantie, obtrectatores pudoris. Nonne de his pulchrè dixeris. Effusi sunt gressus eorum? quos bene vixisse pœnituit. Itaq̃ egerunt noui generis pœnitentiam pro virtutibus, & non agunt pro delictis. Sed hi ex nobis exierunt, dicit Ioannes: sed non erant ex nobis. Si enim ex nobis fuissent, nobiscum perseuerassent. Eodè describit & B. Ephræm in sermone de non scandalizando. Hic, apostata, inquit, abiectâ pietate impudentiam indutus est, & turpiter ac præter decorem agere non erubuit. Neq̃ enim homines veretur, neq̃ Dei indignationem animo expendit, & idcirco neq̃ parentibus debitum honorem attribuit, neq̃ spirituali se opere dignum exhibet: vnde deinceps nascuntur maledicta aduersus promissa, & in pietatem atq̃ religionem blasphemie, quod quidem horrendum est & dicere. Et sicut impius cum in profundum malorum venerit, contemnit: ita & hic in tantam temeritatem impingens nequaquam est territus, instar illius, qui vendidit vniuersam suam substantiam, omnia in subsannationem & improprium sui vertere. Quis enim eum ludibrio non habeat, qui heri in cella conclusus erat, & multorum conuersationem vitabat, hodie cum inhonestis mulierculis viuentem, & in tabernis ebrietati studentem?

Psal. 72.  
Amb. in Psal. 16.

1 Ioan. 2. 19.

Eph. 5. 1.

VIII. REMED. Considera, quam futiles & friuolæ sint causæ, quas nonnulli suæ inconstantie & apostasie obtendunt. Alii enim queruntur de improbitate fratrum monasterii, quibus loco supra citato ita respondet S. Basilius. Si aliquis dicat in fratribus esse aliquos vitiosos (neque enim vniuersos opinor, culpabit. Neque enim propterea ut vitiosi essent, societatem inierunt) nequaquam is idoneam recedendi causam commentus est. Siquidem neq̃ Petrus, neque Andreas, Ioannesue propter Iudæa improbitatem se à reliquorum Apostolorum choro submouerunt, neq̃ quominus Christo obtemperans esset vlla in re illius vitii quisquam aliorum retardatus est; sed contra potius relicta illius peruersitate dominicæ discipline

B. in const. monast.

Eeee virtutem

- Gen. 6.9. virtutem maiore studio sectati sunt. Et infra. Atq; etiam iustus ille Noe, cum in pessima hominum colluue versaretur, non dixit Deo, propterea se debere exire de mundo, sed eo magis more generosi athletee ad hec adulescens se obduravit, neq; vlla in re prorsus Domino repugnans fuit, sed tolerantia putatis nauigium in medijs impietatis fluctibus tutatus est. Quid? nonne Lamech cum Sodomis in tanta impietate, tantaq; legum omnium peruersione degerit, virtutem tamen assidue ab omni vitio integram custodivit, & reliquis, quoad fieri poterat, exemplo suo idem secum vt facerent auctor fuit? Et B. Aug. in expositione Psalmi 99. In illa, inquit, vita communi fratrum, qua est in monasterio, magni viri sancti quotidie in hymnis, in orationibus, in laudibus Dei inde viuunt. cum lectione illis res est, laborant manibus suis, inde se transigunt, non auare aliquid petunt. Quicquid eis infertur a pijs fratribus, cum sufficientia & cum charitate vtuntur. Nemo sibi surpat aliquid, quod alter non habeat. Omnes se diligunt, omnes inuicem se sustinent. Laudat, qui nescit, quid interius agatur, qui nescit quomodo illo vento intrante etiam naues in portu colliduntur. Intrat quasi securitatem sperans, neminem quem toleret habiturus: inuenit ibi fratres malos, qui mali inueniri non possent, nisi admitterentur. Nec excludi facile possunt, nisi prius fuerint tolerati. Quis me hic querebat? Ego putabam, quia charitas esset hic. Et paucorum hominum molestia irritatus dum non perseverauerit implere quod vouit, fit desertor tam sancti propositi, & reus voti non redditus. Iam vero, cum inde exierit, fit & ipse vituperator, & maledicus, & dicit ea sola, que quasi se pati non potuisse asseuerat, & aliquando vera. Sed veram mala malorum toleranda sunt propter Societatem bonorum. Dicit illi scriptura. Rehis, qui perdiderunt sustentiam. Et quod est amplius, ructat indignationes malorum odorem, vnde absterreat intraturos, quia ipse cum intrasset perducere non potuit. Quales illi? Inuidi, litigatores, neminem sustententes, auari. Ille illud ibi fecit & ille illud ibi fecit. O male, quare taces bonos? Quos tolerare non potuisti iactas, qui te malum tolerauerunt taces. Hec Augustin. cuius & illud celebre monitum est ad suos Hipponenses. Nolite propter amurcam, qua oculi vestri offenduntur, torcularia detestari, vnde apotheca Dominice fructu olei luminosioris implentur. Alii obtendunt instituti religiosi, ac imprimis reddendi voti castitatis difficultatem. Quibus respondet B. Chry. ad Theodorum lapsum. Quales hac excusatio est, iugum nos placidum non voluisse sufferre? onus non potuisse portare, quod ipse (Christus) vocauerit leue? imo graue & onerosum pondus portare quietum laborem, ad quem nos Christus inuitat, dicens. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego vos requiescere faciam. Et rursus. Tollite iugum meum quia suauis est, & onus meum leue est. Quid enim leuius esse dices ac melius, quam solitudine seculari, & laboribus & metu exui,

Gen. 19.1.

Aug.

Eccli. 2.16.

Epist. 197.

hry. ep. 6.

Math. 11. 28.



quam ab istius mundi fluctibus segregari, & possidere placidi, tranquillique portus securitatem? Age videamus, quid in hoc seculo nobis beatum, & quid optabile esse videatur. Sine dubio dignitatem & opes dices, & ambitionis humane felicitatem. Sed quid his miserabilius est, si ea libertati Christianorum volueris comparare? Et D. Ambrosius. Sed dicitur, inquit, es forsitan. Non potui sustinere, quia carnem fragilem circumferebam. Respondebit tibi beata Tecla cum suis innumerabilibus sociis. Et nos eadem carne amicta fuimus, non tamen plenum propositum castitatis nostra, aut fragilitas carnis potuit mutilare, aut sauitia tyrannorum per varia tormenta potuit deiicere. Reuera non potest caro corrumpi, nisi mens fuerit ante corrupta. Remanebit ergo in crimine anima, quae carnem praecedit in voluptate. Et Aug. in psalmum 31. Commendatur humilitas David, commendatur mansuetudo David, & dicitur Deo, Memento Domine David, & omnis mansuetudinis eius. Ad quam rem, memento Domine David? Sicut iuravit Domino, votum vouit Deo Iacob. Ergo ad hoc memento, ut impleatur quod promisit. Ipse David vouit tanquam in potestate habens, & rogat Deum, ut impleat, quod vouit. Est deuotio vouentis, sed est humilitas deprecantis. Nemo praesumat se viribus suis reddere, quod vouerit. Qui te hortatur ut voueas, ipse adiuvat ut reddas. Et in Psal. 75. Quid tibi dixerit psalmus, attende, non dixit, nolite vouere, sed vouete, & reddite. Quia audisti reddite, non vis vouere? Ergo vouere volebas, & non reddere? Imo utrumque fac. Vnum sit ex professione tua, aliud ex adiutorio Dei perficietur. Aspice eum, qui te ducit, & non respicies retro, unde te educit. Qui te ducit, ante te ambulat: unde te eduxit, post te est. Ama ducentem, & non te damnat retro respicientem. Hinc ergo habes antidotum praesens pro expugnanda difficultate voti reddendi, maxime castitatis, nempe diuinae implorationem, conuenienter dicto Sapientis. Et ut scini, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientia, scire cuius esset hoc donum: adij Dominum, & deprecatus sum illum.

IX. REM. Considera exempla diuinae scripturae eorum, qui ob vota violata grauius puniti sunt. S. Patres duo potissimum proferunt, alterum ex veteri, alterum ex nouo testamento. Ex veteri quidem, vxoris Loth, de quo B. Ephraim paranefi nona. NE hodie, inquit, renuntiatio seculi, & abdicatio rerum terrenarum, ac valedictio patriae & amicorum, parentumque carnalium propter spem in Dominum Christum: cras autem nostram regionem & patriam, atque hereditatem inquiramus. Vxor siquidem Loth retrorsum conuersa in columnam salis mutata est. Quare & Dominus instruit nos dicens. Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno caelorum. Et D. Aug. in psal. 75. De die iudicii cum Dominus minaretur, quid ait? Memento vxoris

Eeee 2

Loth.

Amb. c. 4. ad V. lapsum.

Aug.

Sap. 3. 21.

Gen. 19. 16. Ephr. 1. 9.

Luc. 9. 62. Luc 17. 32.

Loth. Omnibus dixit. Quid enim fecit uxor Loth? Liberata est à Sodomis, & in via posita retrorsum respexit. Vbi respexit, ibi remansit. Facta est autem statua salis, ut illius contemplatione condiantur homines, cor habeant, non sint fatui, non retro respiciant, ne malum exemplum dantes, ipsi remaneant, & alios condiant. Nam & modo dicimus illud quibusdam fratribus nostris, quos forte viderimus velut infirmari in proposito bono, & talis vir esse, quales illi. Obiicimus illis quosdam, qui retro respexerant, illi fatui sunt in se, alios condiant, quando commemorantur: ut illorum exemplum timentes, retro ne respiciant. Vouete & reddite Domino Deo nostro, quia illa uxor Loth ad omnes pertinet. Ex Nouo vero testamento S. Patres produunt exemplum Ananiae & Saphyrae. ut B. Hier. ad Demetriadem, de uirginitate seruanda. In actis, ait, Apostolorum, quando Domini nostri aduocatus calebat cruor, & feruebat recens in credentibus fides, vendebant omnes possessiones suas, & pretia earum ad Apost. deferebant pedes, ut ostenderent pecunias esse calcandas, dabaturq. singulis, prout cuiq. operat. Ananias & Saphyra dispensatores timidi, imò corde duplici, & ideo condemnati, quia post votum obtulerunt quasi sua, & non eius cui semel ea uouerant, partem, sed alienae substantiae reseruauerunt metuentes famem, quam uera fides non timet, presentem meruere vindictam, non crudelitate sententia, sed correctionis exemplo. Denique & Apostolus Petrus nequaquam imprecatur eis mortem, ut stultus Porphyrius calumniatur, sed Dei iudicium propheticum spiritu annunciat, ut poena duorum hominum sit doctrina multorum. Et B. Chryl. in Acta Apostolorum. Quare, inquit, hoc fecisti? uoluisse habere Anania? oportebat in initio habere, & non promittere: nunc autem postquam consecrasti, maius sacrilegium commisisti: qui enim aliena rapit, forsitan alienarum rerum desiderio rapit. tibi autem licebat tua retinere, cur uigilatur sacra fecisti ea, & postea accepisti? Et S. Greg. ad Venantium. Ananias Deo pecunias uouerat, quas postea uictus persuasione diaboli subtraxit, sed qua morte mulctatus est scis. Si ergo ille mortis periculo dignus fuit, qui eos quos dederat nummos Deo abstulit, considera quanto periculo in iudicio diuino dignus eris, qui non nummos sed temet ipsum Deo omnipotenti cui te sub monachali habitu deuoueris, subtraxisti?

X. R. E. M. Considera & alia exempla à Patribus descripta. Primum fit eiusdem B. Greg. ex lib. 2. dialogorum c. 25. Quidam eius, (S. Benedicti) monachus mobilitati mentis deditus erat, & permanere in monasterio nolebat. Cumq. eum uir Dei assidue corripere, & frequenter admonere, postquam uero nullo modo consentiret in congregatione persistere, atq. importunis precibus, ut relaxaretur inueneret, quadam die idem uenerabilis pater nimietatis eius taedio affectus, iratus iussit ut discederet. Qui mox ut monasterium exiit contra se assistere aperto ore draconem in itinere inuenit: cumq. eum idem draco apparuerat

A. 5. 1.  
H. ep. 8.

Chry. hom. 12.

G. lib. 1. ep. 33.

deuorare vellet, cepit ipse tremens & palpitans magnis vocibus clamare dicens. Succurrite, quia draco iste me deuorare vult. Currentes autem fratres draconem minime viderunt, sed trementem atq; palpitantem monachum ad monasterium reduxerunt. Qui statim promisit nunquam se esse à monasterio recessurum, atq; ex hora eadem in sua promissione permansit. Quippe qui sancti viri orationibus contra se assistere draconem viderat, quem prius non videndo sequebatur. Alterum exemplum refert idem in Epistola ad Id. lib. 9. ep. 38. Rusticianam patritiam. Dum in natalitio eiusdem Apostoli (Andree) iam meridianis horis fratres quiescerent, subito quidam frater apertis oculis cecatus cepit tremere, voces ingentes emittere, quibus vocibus testabatur ferre se non posse quod patiebatur. Concurrentes fratres viderunt cæcum apertis oculis trementem & clamantem, & à presentibus alienum, nihil, quod foris agi poterat, sentientem, eumq; in manibus leuauerunt, atq; ante altare S. Andree Apostoli proiecerunt, ipsiq; pro eo in oratione prostrati sunt. Qui statim ad se reuersus, quid passus fuerat, confessus est. Quia senex quidam ei apparuit, & canem nigrum ad eum dilaniandum dimisit, dicens. Quare fugere voluisti de monasterio isto? Cumq; euadere de canis morsibus nullo modo potuissem, venerunt quidam monachi, & eundem senem pro me rogauerunt. Qui statim iussit canem abscedere, & ipse ad me reuersus sum. Qui etiam confessus est, quia eo die, quo ista pertulit, consilium habuerat de eodem monasterio fugere. Adiungit ibidem & Tertium. Alius, in quiens, quoq; monachus discedere de eodem monasterio latenter voluit, cumq; hoc mente tractasset, voluit Oratorium ingredi, sed statim demonio traditus vehementissime vexatus est. Relinquebatur vero à demonio, si extra oratorium steterisset, & nihil patiebatur aduersi. Si verò conatus fuisset ingredi, statim maligno spiritui traditus vexabatur. Cumq; hoc sapius fieret, culpam suam confessus est, quia egredi de monasterio cogitabat. Tunc collecti pro eo fratres sese per triduum in precibus astrinxerunt, atq; ita curatus est, vt ad eum postmodum nunquam spiritus malignus accederet. Dicebat autem se eundem beatum Apostolum, dum vexaretur, vidisse, seq; ab eo increpatum esse, cur voluisset abscedere? Plura exempla habes in B. Petro Damiani Cardinalc. vt lib. 2. epist. 15. & lib. 4. epist. 17. Et lib. 5. epist. 16.

XI. REMED. Est Pœnitentia & conuersio. Sic enim Dominus Deus loquitur ad Prophetam Ieremiam. Ierem. 8. 4. Hæc dicit Dominus. Nunquid, qui cadit non resurget, & qui auersus est, non reuertetur? Quare ergo auersus est populus iste in Ierusalem auersione contentiosa? Et intra. verf. 19. Nunquid re-  
verf. 19. sin non est in Galaad, aut medicus non est ibi? quare igitur non est obducta cicatrix filie populi mei? His verbis hortatus B. Basilius virginem Iuliam. B. epist. ad virg. 1. plam ad conuersionem, subiungit. Nos ad pœnitentiam vocans dixit Isai. 2. 18. verbi doctrina clamat. Est via salutis, si velimus. Fidelis Dominus in omnibus

Matth. 9. 12.  
Luc. 15. 4.

Luc. 15. 20.

Ibid. 20.

Ambr. c. 3.

Joel. 2. 13.

Basil. ep. cit.

sermonibus suis, non mentitur, dixit. Si fuerint peccata vestra velut pannus punicus, sicut niuem dealbo. Si verò fuerint velut coccinū, velut lanam in al-  
babo. Paratus est magnus ille animarū medicus sanare afflictionem tuā. Illius  
verba sunt. Illius dulce ac salutare os dixit. Non opus habet valētes medicos, sed  
male habentes. Non veni ad vocandum iustos, sed peccatores ad penitentiam.  
Vult Dominus purgare te à plaga maligni. Querit te pastor bonus, relictū ou-  
ibus non errantibus. Si commiseris ipsi te ipsam non cunctabitur te ille hominū  
amator humeris proprijs portare, gaudens, quod reperit ouem suam deperdi-  
tam. Stat ille pater, & expectat tuum ab errore reditum: solummodo reue-  
tere, & dum adhuc longe abes accurrens irruet in collum tuum, & amici am-  
plexibus complectetur te à penitentia iam purgatā, & vestem induet prima-  
riam, & addet anulum manibus, quæ mortis sanguinem abluerunt, & calca-  
mentum addet pedibus, qui auerterunt se à via mala, ad cursum. Euangely  
pacis. Et gaudij diem annuntiabit suis, tum angelis, tum hominibus, & uni-  
no splendido epulo celebrabit tuā salutem. Inquit enim. Amen dico vobis, quod  
gaudium est in cælo coram Deo ob unum peccatorem penitentem. Et si vnus  
verterit quis ex his, qui stare sibi videntur, quod cito assumpta es, ipse ille ho-  
minū pater pro te respondebit, dicens. Latari oportet, & gaudere, quia hæc filia  
mea mortua erat & reuixit: & deperdita erat, & inuenta est. Quanta actō  
agenda sit penitentia describit B. Ambr. ad suam lapsam. Penitentia,  
inquit, non verbis agenda est, sed & actu. Hæc autem sic agitur. Si tibi ante-  
culos ponas, de quantâ gloria rueris, & de quo libro vitæ nomen tuū delerum  
sit: te iam credas prope ipsas positam tenebras exteriores, vbi erit sicutus oculorū,  
& stridor dentium sine fine. Cum hæc certa fide, sicut est, animo conceperis,  
quia necesse est præuaricatricem animā tartareis pænis, & gehenna ignis ar-  
di, nec aliud remediū constitutum esse post baptismum, quam penitentis solæ-  
tium, quantumuis afflictionē, quantumuis laborem subire esto contenta, dum-  
modo ab eternalib. pænis libereris. In primis omnis cura vitæ huius interimen-  
da tibi est, & quasi mortuam te existimans, sicut es, quorū modo possis reuiuiscere,  
cogita. Deinde lugubris tibi accipienda est vestis, & mens ac membra singula  
digna castigatione puniendâ, &c. Dicit enim Deus. Conuertimini ad me & con-  
uertar ad vos. Conuertimini ex toto corde vestro, in ieiunio & fletu, in plātū:  
dirumpite corda vestra, & non vestimentū, quoniam pius & misericors sum.

XII. REMED. Considera, quid hominem lapsū, votorumq; suo-  
rum præuaricatorem præter iam allata antidota commouere possit  
ad veram & sinceram conuersionem. Id non contigit iam sæpe ci-  
tatus D. Basilus, dum ita loquitur. Multa sanè reperias in diuina Scriptu-  
ra mali auxilia, multa item ex interitu ad salutem medicamenta, de morte  
& resurrectione mysteria, de iudicio horrendo ac æterno verba, de penitentia  
& remissione peccatorum dogmata. Innumera illa conuersionis exempla,  
de achmam,

drachmam, ouiculam, filium prodigum, qui sua consumpserat cum scortis perditum & repertum, mortuum & vita restitutum. His utamur mali auxilijs, per hæc animam nostram curemus. Assume in meditationem extremum diem, & anxietatem, & suffocationem, & mortis horam, & sententiam Dei urgentem, & Angelos festinantes, & animam in his grauiter conturbatam, qua à peccatrice conscientia amarè flagellatur, & ad ea, qua hic sunt, miserabiliter se conuertit, & inuit abilem longæ illius peregrinationis necessitatem. Describe mihi in mente tua ultimam communis vitæ subuersionem, cum veniet filius Dei in gloria sua cum Angelis suis. Veniet enim, & non cunctabitur, quum veniet ad iudicandum viuos ac mortuos, & reddendum unicuique iuxta opus suum: cum tuba illa magno & horrendo sono edito excitabit eos, qui à condito seculo dormierunt, & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala fecerunt, in resurrectionem iudicij, &c. Vbi bona, mala, manifesta, occulta, res, verba, cogitatus, omnia aceruatim, ut ab omnibus Angelis ac hominibus exaudiri possint, manifestè reuelabuntur. Ad hæc quales necesse est esse eos, qui male vixerunt? Vbi anima illa mergetur, qua in tot spectatorum conspectu derepente turpitudine plena visa est? Quali verò corpore insinuita illa & intolerabilia flagella sufferi? Vbi ignis inextinguibilis, & vermis indefinenter castigans, & fundum inferni tenebricosum ac horrendum, eiulatus amari, ululatus indecorus, ploratus & stridor dentium, vbi finem non habent mala? Neg, aliqua suppetit industria, neg, ars effugiendi amara illa supplicia. Hæc Basilus. Eadem prolixè inculcat B. Ioan. Chrysostomus, multaq; alia Theodoro lapsò, qui monasticen deseruerat, quæ lectu sanè sunt dignissima, permouereque ad pœnitentiam possunt hominem, etiam extremè de salute sua vel aliena desperantem. Tantum subiiciam exempla quatuor illustra ab eodem non longè à fine commemorata.

Macch. 25.

Isai. 66. 24.

Chryc. epist. 5.

EXEMPLA B. JOAN. CHRYSOST.  
contra desperationem Apostatarum.

**N**ARRABO tibi, THEODORE, qua nostris contigere temporibus I. Exempl. & quorum ipse testis esse valeo. Noui inuenem illum filium Urbani, qui continuo à teneris unguiculis absque custodia legitima educationis fuit, Dominus autem multarum rerum, pecuniarum, ministrorum, agrorum. Is cum dixisset, quam sit oblectatus consuetudine rei musicæ, deposito illo splendidissimo amictu, totoq; huius vitæ fastu, repente pallio se viliori contexit, ad montes, ad solitudinem secessit, egregiamq; exhibuit Philosophiam, non iuxta illius ætatis modum, sed qualem posset vir quispiam admirabilis & excel-

& excellens: deinde ad sacra mysteriorum sacerrima idoneus reputatus ma-  
 gnam accessionem virtuti adiecit. Omnes gauisi sunt impense, Deumq; glo-  
 rificarunt, quod in affluentia deliciarum enutritus, clarus ex progenitori-  
 bus, & admodum adolescens, cunctam huius vite phantasiam fucatamq; fe-  
 licitatem semel conculcasset, & euasisset ad verum virtutis fastigium. Cum  
 esset eo loci constitutus, & iure suspiciendus, ecce corruptores quidam exci-  
 tantes id esse preter dignitatem generis, iterum illum in pristino statu  
 abduxerunt. Reiectis enim cunctis vite religiosa ornamentis à monibus in  
 medium forum se contulit, & equis vectus, & magno stipatus famulatio-  
 nam urbem obiuit, neq; sapere, neq; temperate viuere libuit: nimis enim deli-  
 cijs incallescens in absurdos amores ceu nolens propellitur. Nemo erat ex  
 conuersantium, qui non putaret de ipsius salute actum esse tantum ei ex  
 adulatorum cohesit: cui accesserunt, carentia parentum, iuuentus, multa  
 spes. Qui omnia calumniari solent, hominem traduxerunt eo nomine, quod  
 à spiritualibus defecisset, inutilis futurus & rei familiari, quod superiori  
 tempore eloquentia deditus retulisset pedem, illicq; nihil fructus valuerit  
 consequi. Cum esset itaq; multo suffusus pudore, quidam sancti viri, qui sepe  
 in tales belluas impegerant, & experientia docti erant, spe diuina munus  
 nunquam esse desperandum, obseruarunt eum assidue, visumq; in foro ac-  
 cesserunt, complexiq; sunt: quos ille initio, velut è sublimi equo insidens ab-  
 quebatur contemptim, tanta erat primum impudentia hominis. At illi mi-  
 sericordes non ita multum ea contumelia mouebantur, in vnum illud figen-  
 tes obrutum, vt quacunq; via agnellum lupo subtrahant, quod & callide per-  
 fecerunt. Siquidem tandem velut obstupescens intra se abreptus est, caputq;  
 assiduam eorum curam reuereri, & cum quadam vice vel procul obuiam fa-  
 ctos iterum conspexit, ab equo cito desiliit, & oculis in terram deiectis cum  
 multo silentio, qua ab illis agerentur, auscultauit, propiorq; factus maiori pu-  
 dore suffundebatur, & honorem debitum eis exhibuit. Atq; ita lapsam pau-  
 cis diebus diuine gratie reddiderunt, retribusq; omnibus expeditis in pristi-  
 nam tranquillitatem asseruerunt. In tantam autem lucem emicuit, vt su-  
 periorem vitam, qua post casum peracta est, incessens, homo nihili videretur.  
 Cum enim probe perspexisset, qua sit malorum esca distribuit in egentes  
 opes omnes, eo facto se à noxijs curis exonerans omnem occasionem, qua po-  
 tuit insidias tendere, abscidit. Viam qua ducit ad cælum incedens ad apicem  
 virtutis iam dudum penetrauit. En ille, cum esset iuuenis, excidit, & ite-  
 rum surrexit. Alius quispiam post multos sudores eremitice conuersationis,  
 cui duntaxat vnus fuit conuictor, cum quo vixit planè angelicam vitam ad  
 senectam vsq; perseuerans. Is aliquando ex versutia diaboli velut oscitans,  
 ac remissior factus accessum maligno dedit, & lapsus est cum muliere se com-  
 miscendo, qui nunquam viderat mulierem à tempore monastices susceptæ.  
 Is primò

II.

Is primò à contubernali petijt carnes & vinum, adiectis minis, nisi impetraret, se in forum perrecturum, quod dixit non tam desiderio carniùm, quam ut prætectum captaret ad eundem urbem. Commilito veritus minus malum, affensit. Sed postquam amor sapientie in eo refraxit, palam professus est se debere adire urbem. Socius, cum videret se frustra reluctari, tandem id etiam concessit, sed abeuntem, à longè secutus, observavit quònam desisteret. Vidit autem intrantem lupanar, expectans foris, donec libidinem cum scorto expleisset: egredientem amplexus est, & osculatus, nihil de commisso flagitio expostulando, tantum verò hortatus est, ut quoniam iam concupiscentia sua fecisset satis, secum in solitudinem rediret. Erubuit ob tantam mansuetudinem homo, animoq; perculsus & compunctus ad montem socium est persecutus. Ibi vir ille se casa inclusit, ianuaq; obserata alter panem & aquam quotidie ei praebebat: querentibus autem de se, iussit ut responderet se somnum capere. Ita per omnem vitam in ieiunijs, precibus & lacrymis animam à sordè peccati repurgans perseveravit. Tempore autem non multo peracto siccitas viciniam inuasit: iubetur quidam in somnis adire virum inclusum, eumq; rogare, ut oret pro siccitate tollenda. At inclusi commilito respondet inclusum diem suum obijisse. Cum verò secundo vicini in somnis moniti essent, ut inclusum requirerent, ad casam inclusi venerunt, & quia ianua obstructa erat, parietes demoliti sunt. & cum virum reperissent, aduoluti pedibus eius obsecrarunt, ut suppetias ferret contra ariditatem. Ille primum renuit, eo quod memoria peccati sui ob oculos adhuc versaretur, sed tandem cum illi de visione sua narrassent, acquieuit, & precibus siccitatem dissolvit. Subiicit deinde tertium exemplum de adolescente, quem ducem latronum factum, & de salute sua desperantem convertit S. Ioannes Apostolus, quod fusè commemorat Eusebius lib. 3. Eccles. historiae, c. 22. Deniq; & quartum, de Onesimo, quem B. Paulus licet inutilem transfugam, inquit, & f. Epist. ad Phil. rem, non solum ipse amplexatus est mutatum in melius, sed etiam idoneum putavit, quem penitentem honore preceptoris dignaretur.

VIDE V. Inconstantia. Iuramentum. Tentatio. Tepiditas spiritualis.

## V S V R A.

## Remedia contra Vsuram.

**I** REMED. Considera, quid diuinitus inspirata scriptura tradat de Vsuram vel sceleratione. ac primo quidem hortatur nos, ut libenter mutuo pecuniam, aliudue egentibus demus gratis. Sic in Deuteronomio. Si, inquit, vnus de fratribus tuis, ad paupertatem venerit, Deut. 15. 2.

ffff non ob-

Matth. 5. 42.  
Luc. 6. 34.

Deut. 23. 19.

Ib. 28. 12.

Ezech. 18. 13.

Pfal. 88. 31.

Basil.

Pfal. 14. 5.

Ezech. 18. 17.

Pfal. 54. 12.

Ambr. c. 13.

non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, & dabis mutuum, quod ex te indigere perspexeris. Et apud Matthæum. Qui petit à te da ei, volenti mutuari à te, ne auertaris. Et apud Lucam. Si mutuum dederis his, à quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus fænerantur, ut recipiant equalia. Benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes, & erit merces vestra multa. 2. prohibet mutuationem pecuniæ sive vsuræ vel lucri factam. Vt in Deuter. Non fænerabis fratri tuo vsuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem. Et iterum. Fænerabis gentibus multis, & ipse à nullo fænus accipies. 3. docet apud Ezechielem Prophetam, egenum & pauperem contristantem, rapientem rapinas, pignus non reddentem, ad vsuram dantem, & amplius accipientem, aliq. detestanda facientem morte moriturum.

II. REMED. Considera sententias SS. Patrum. S. Cyprianus causas persecutionis exponens ita queritur de clero. Non in Sacerdotibus religio deuota, non in ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina, &c. Esurientibus in Ecclesia fratribus non subuenit, habere argentum largiter velle, fundos insidiosis fraudibus rapere, vsuris multiplicantibus fænus augere. Quid non perpeti tales pro peccatis eiusmodi mercedem? cū iam pridem pramonuerit, ac dixerit censura diuina. Si dereliquerint legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint, si iustificationes meas profanauerint, & precepta mea non obserauerint, visitabo in virga facinora eorum, & in flagellis delicta eorum. S. Basilii homilia altera in Psal. 14. Propheta (Dauid) inquit, perfectum plene hominem describens, inter eius præclarè facta illud quoq. annumerauit, quod pecuniam suam non dedit ad vsuram. Quod utique vitium in plurimis scriptura locis vituperari videtur. Nam Ezechiel in maximis ponit malis fænus, ut plus quam sortem accipere, & lex illud luculenter prohibet, dicens. Non fænerabis fratri tuo, & proximo tuo. Et rursus ait. Fænus super fænus, & dolus super dolum: & de ciuitate in multitudine malorum deprehensa quid ait Psalmus? Et non defecit de plateis eius vsura & dolus. Enimuerò inhumanitas est maxima, si quis, qui egestate premitur, mutuum ad vitæ subsidium querat, dans verò minime sorte contentus ex miseri calamitate prouentus & opes sibi excogitet. Et infra. Genus hoc auaritia, id est, partus ob multiplex, ut existimo, mali germen nominatur, aut forte ob mæiores anxios, qui in mentibus fænore grauatorum gignuntur. Sicut enim dolores parienti, sic tempus statutum debitori existit fænus supra fænus, malorum parentum mala soboles. Hi sanctus vsurarum rectè genimina viperarum dicuntur. Viperas enim dicunt ventre materno perroso nasci: sic item fænora ad debitorum domos absumenda nascuntur. S. Ambr. in lib. de Tobia. Vsuram quoq. ab vsu arbitror dictam, quod ut vestes vsu, ita vsuris patrimonia scindantur. Lugebre cera prima littera



Ait tera sonat, parturit vox doloris est. Quid ibi potest esse boni, quod a dolore incipit, & ab obligatione? Lepores ferunt generare simul & educare, & continuo parturire. Istis quoque anaglypharijs usurarum generatur, & supergeneratur usura, enutritur ac nascitur, & nata iam parturit. Et infra. Crescit semper pecunia, otium nescit auaritia, usura ferias. Omnes, inquit, torrentes vadunt in mare, & mare non adimpletur. Mare istud fenerator est. Omnium patrimonia tanquam fluctus absorbet, & ipse nescit expleri. Mari tamen plerique utuntur ad questum, fenerator nemo vititur, nisi ad dispendium. Et rursum. Et quia plerique, cap. 14. usuras exigunt, sed de mercibus, eorum tanquam usuram emolumenta percipiunt, ideo audiatur, quid lex dicat. Neg. usuram, inquit, escarum accipies, neque omnium rerum, quas feneratoris fratri tuo. Fraus enim ista & circumscriptio legis est, & non custodia. Et putas te pie facere, qui a negotiatore velut mutuum suscipis? Inde ipse fraudem facit in mercium precio, unde tibi soluit usuram. Et esca usura est, & vestis usura est, & quodcumque sorti accedit, usura est. Quod velis ei nomen imponas, usura est. S. Ioan. Chrylost. in Genes. In his sensibus Chryl. hom. 41 libris pecunijs prohibuit Dominus, ne quis usuram acciperet. Quam ob causam quia uterque magno damno afficitur. Nam debitor quidem inopia atteritur: creditor autem augens diuitias, & peccatorum accumulatur sibi multitudinem. Proinde ab initio olim Iudeis crassioribus tale dedit preceptum, dicens. Non feneratoris fratri tuo & proximo tuo. Qua igitur excusatione digni erunt, Deut. 23. qui Iudei sunt inhumaniores, & post gratiam, & tantam a Domino misericordiam, inueniuntur his qui sub lege fuerunt inferiores, imo peiores (Et in Mattheum. Nihil praesenti usura turpius, nihilque crudelius. Siquidem huius Id. hom. 5. modi fenerator negotiatur aliena discrimina, & uberiores quassus de alterius infelicitate consequitur: atque in super quasi pietatis mercedem reposcit velut metuens, ne immisericors forte videatur: cum profecto pretextu miserendi, atque opem ferendi maiorem misero foueam crudelitatis effoderit specie iuuandi atterens inopem, ac manum porrizendo deiciens, & quasi in portum ex tempestate suscipiens, sed improviso turbine in multo magis crudele naufragium velut inter scopulos ac latentia saxa demergens. Et Auctor operis Id. hom. 22. imperfecti in Mattheum. Similis est pecunia usuraria aspidis morsui. Sicut enim qui ab aspidem percutitur, quasi delectatus vadit in somnum, & sic per sua uitam soporis moritur, sic & qui accipit sub usuris, pro tempore delectatur quasi qui beneficium acceperit, & sic per sua uitam beneficij non sentit, quomodo captiuus efficiatur. Nam sicut venenum aspidis latenter per omnia membra discurret, & corrumpit, sic usura per totas facultates eius discurret, & conuertit eas in debitum. Sicut enim fermentum modicum, quod mittitur in multam farinam, totam consersionem corrumpit, & trahit illam, & facit illam totam fermentum: sic cum usura in animam alicuius intrauerit,

- Aug. ep. 54 totam substantiam eius ad se trahit, & conuertit in debitum. S. Aug. ad Ma-  
cedonium. Quid dicam de usuris, quas etiam ipse leges & iudices reddi in-  
bent? An crudelior est, qui subtrahit aliquid, vel eripit diuiti, quam qui tra-  
cidat pauperem fœnore? Hæc atq. huiusmodi male vtiq. possidentur, & vellent  
vt restituerentur, sed non est, quo iudicerepetantur. Et in Psalm. 33. Quam  
Id. conc. 3. detestabile sit, & quam odiosum, quam execrandum esse fœneratorem, patet  
quia & ipsi fœneratores nouerunt. Si fœneraueris homini, id est, mutuum pecu-  
niam tuam dederis, à quo aliquid plus quam dedisti expectes accipere, non  
pecuniam solam, sed aliquid plus quam dedisti, siue illud triticum sit vel oli-  
num, siue oleum, siue quodlibet aliud, si plus quam dedisti expectas accipere,  
Hicr. in c. 18. fœnerator es, & in hoc improbandus, non laudandus. S. Hier. in Ezechiel.  
Putant quidam usuras tantum esse in pecunia, quod prouidens diuina scri-  
ptura omnis rei auferi super abundantiam, vt plus non recipias, quam dedisti.  
Exod. 18. 17. Item alij pro pecunia solent munuscula diuersi generis accipere, & non intelli-  
gunt scripturam usuram appellare & super abundantiam quicquid illud est,  
si ab eo quod dederint plus reacceperint.
- III. REMED. Si magna veri lucri cupiditate ardes, conuerte usura-  
ram illicitam in licitam, temporalem in spiritualem, de qua Salo-  
mon in Prouerbij. Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & uicissit-  
tudinem suam reddet ei. Huius antidoti contra auaritiam fœneratorum  
S. Patres meminerunt. S. Basilius loco supra citato. Quando, in-  
quit, pauperi daturus es mutuum in Domini gratiam, nihil inde speras, idem  
ipsam & donum & fœnus est. Donum quidem, quod à paupere non speratur  
recepturum: fœnus uero ob Domini munificam liberalitatem pro illo redder-  
tis, qui parua quidem per pauperem cum acceperit, maxima pro ipso retribu-  
t. Qui enim pauperis miseretur, Deo fœnerat. Si quis in ciuitate diues ti-  
bi pro aly spondeat, fideiussionem illius accipis, Deum uero non admittis tam  
multa se persolaturum pauperum causa pollicentem? S. Ambr. de Tobia.  
Sed fœneratorum vos delectat & usurarum uocabulum, id quod, non uides.  
Docebo quomodo boni fœneratores esse possitis, quomodo bonas queratis usura-  
ras. Dicit Salomon. Fœnerat Domino, qui miseretur pauperi, secundum autem  
datum eius retribuet ei. Ecce bonum fœnus de malo factum est. Ecce irre-  
prehensibilis fœnerator, ecce usura laudabilis. Nolite ergo iam inuiden-  
tem me uestris commodis aestimare. Putatis quod hominem subtraham uobis  
debitorem? Deum prouideo, Christum surrogo, illum demonstro, qui vos frau-  
dare non possit. Fœnerate ergo Domino pecuniam uestram in manu pauperis,  
ille astringitur, & tenetur, ille scribit, quicquid egenus acceperit. Euangelium  
Aug. in Psalm. 33. eius cautio est. Quid dubitatis dare? S. Aug. Quid ergo, inquis, facio, ut sim  
uili fœnerator? Attende, quid facit fœnerator. Minus uult dare ceri, &  
plus accipere, hoc fac & tu. Da modica, accipe magna. Vide quam late crescat  
fœnus

fœnus tuum. Da temporalia, accipe aeterna. da terram, accipe calum. Et cui dabo, forte dicis? Ipse Dominus procedit, quem fœneres, qui tibi inhibebat, ne fœnerator sis. Audi scripturam, quomodo fœneres Dominum. Fœnerat, inquit, Dominum, qui miseretur pauperis. Non enim eget à te Dominus, sed habes alium qui à te eget. Illi porrigis, ille accipit. Non enim habet pauper, quod tibi retribuatur. &c. Ecce Deus tibi de scriptura sua dicit. Da, securus esto, reddam. Quomodo solent dicere fidei iussores? Quid dicunt? Ego reddo, ego accipio, mihi das. Putamusne & hoc dicit Deus, ego accipio, mihi das? Plane si Deus Christus, quod non dubitatur, ipse dixit. Esuriui & dedistis mihi manducare, &c. Cum vni, inquit, ex his minimis meis fecistis, mihi fecistis. Eia auare fœnerator, vide quid dedisti, vide quid accepturus es. Si dedisses paucam pecuniam, & ille cui dederas pro parua pecunia tua daret tibi magnam villam incomparabiliter amplius valentem, quam tu pecuniam dederas, quantas gratias ageres, quanta letitia tollereres? Audi quam possessionem det, quem fœnerasti. Venite benedicti patris mei, Quid? quod dedistis? absit. Terrena dedistis, qua si non dedissetis, in terra putrescerent. Sed, percipite regnum quod vobis paratum est ab initio mundi. Similia habes in Chry. hom. 24. & 53. ad populum Ant.

Prou. 19.

Matth. 25.

Basil. Psal. 14.

Amb. de Tobia c. 3. & 6.

IV. REMED. Considera fœneratorum mores, fraudes, nequitiam à SS. Patribus descriptos. S. Bas. Auarus, inquit, videns inopem necessitate coactum ad genua sua supplicem procumbentem, flecti nescius persistat implacabilis, & nec precibus vincitur, nec lacrymis mollitur. Turat insuper se omnino carere pecunia, & querere, si quem ipse fœneratorem inueniat, & in humane mercaturæ impudens periurium addit. Postquam verò perspicit miserum illum meminisse fœnoris supra sortem, subridere incipit, familiarem & amicum appellat. Videamus, inquit, sicubi relictum est nonnihil argenti depositi. Hac itaq; commentitia simulatione ubi inescavit miserum, & litteris obstrinxit super eo fœnore confectis inde se proripit. Eodem modo describit fœneratorem B. Amb. & multo post addit. Nihil nequius fœneratoribus, qui lucra sua aliena damna arbitrantur. aucupantur heredes novos, adolescentulos diuites explorant per suos, adiungunt se, simulantes paternam & auitam amicitiam, volunt domesticas eorum cognoscere necessitates. Si quam causam inuenerint accusant verecundiam, pudorem arguunt, quod non ante de se speratum atq; presumptum. Sin verò nullos laqueos alicuius necessitudinis offenderint, intexunt tabulas, aiunt nobile prædium esse venale, amplam domum, accumulans proventus fructuum, annuos redditus exaggerant, hortantur ut coemant. Similiter faciunt preciosas vestes, & monilia nobilia predicantes. Negant se habere pecuniam, ingerunt suam, dicentes. Vtere ut tua: de fructibus emptæ possessionis precium multiplicabis, debitum reddes. Pretendunt alienos fundos adolescenti, ut eum suis expo-



lient, tendunt retia. Simul ut indagine cincta septa fuerit ingressus, totum cum in retia cautionum, laqueos vserrarum, petunt sibi obligari aut umptorium, paternum sepulchrum, praestituitur dies solutioni, dissimulant conuentio, quando potest solutio sustineri; ubi satis securum reddiderint, repente ingruunt & instant vehementius, causanti incumbunt dicentes: Tu pades tua praedia, nos nostram pecuniam non habemus. aurum dedimus, legum tenemus. tibi fructuum emolumenta procedunt, nobis nihil accrescit pecunia. Otiosa causatio est, saltem renouetur chirographum.

Id. c. 7.

V. REMED. Considera pericula & damna accipientis mutuo pecuniam, & damna a foeneratore. Nam idem B. Amb. statim subicit ibidem. Itaq; dum primum adolescens nihil putat de vestibus suis, aut possessionibus esse vendendum, ad haec facienda postulat dilationem. Vt sora applicantur ad sortem, accumulatur centesima. Iam suspirare incipit, iam malum suum agnoscit. die ac nocte vsuram cogitat: quicquid occurrerit foeneratorem putat: quicquid crepuerit, vocem sibi videtur foeneratoris audire. Si habes, cur non soluis? si non habes cur malum malo adiungis, & de vulneremedium quaeris? Cur quotidie obsidionem pateris foeneratoris? expugnationem times? vetus sententia est. Foeneratoris & debitoris, inuicem sibi occurrentium prospectum amborum facit dominus. Alter quasi praedam querit, alter quasi fera praedonem declinat. Ille quasi leo quaerit quem deuoret, iste quasi bos iuuenculus praedonis impetum reformidat. Ille quasi accipiter conguibus olorem quaerit inuadere, iste quasi anser aut fulica maualt se vel in praecepta deicere, vel in profunda demergere, quam istum humani corporis accipitrem sustinere. Quid quotidie fugis? Et si non occurrat foenerator occurrat tibi inopia tanquam bonus cursor. Et paulo post. Si quis pulsauerit nocte, foeneratorem putas sublecto, illico si quem subito intrare senseris, in furore exilis. Canis latrat, & cor tuum palpitat, sudor effunditur, anhelitus quatitur, quaeris quid mentiaris, ut foeneratorem differas & cum dilationem impetraueris, gaudes. Foenore tuo simulat se foenerator grauari, sed libenter impertit, quasi venator, qui seram cinxerit securus praede. Et infra. Denique tempus impleueris sicut lupus nocte irruit, dormire non sinit, ex lecto ad publicum trahit, aut tabulis venditionis cogit subscribere. Ut fureris praedaris ad pedium, subscribis illico, venditurus aut um sepulchrum. Paterna sane ut partatur aliquid verecundia, emitur ieiunium solum, iactatur quod infecunda vendiderit, dispendiis onerauerit debitorem. M. x. & laudata venduntur, & inferuntur iam non instrumenta sed vincula. Tamen adhuc quaerunt dissiuissores. Tribuuntur induciae, non ut praedam libertatis inueniat, sed ut consortem seruitutis atrungat, qui se societ erummoso. At quid inuare potest aliene calamitatis accessio, iam & amici fugiunt, conuina non recognoscunt, ipse quoq; conspectus omnium refugit, redit mortem optans, cogitans eam sibi mouere.

moretur, quietē inferre. Deinde miserandū subiicit exemplum, quod Cap. 7.  
 S. Basilus quoq; loco citato recitat. *Vidi ego, inquit, miserabile spectaculum, liberos pro paterno debito in auctione deduci, & teneri calamitatis heredes, qui non essent participes successionis & hoc tam immane flagitium non erubescere creditorem. Instat, urget, addicit. Mea, inquit, nutriti pecunia pro alimentis seruitutem recognoscant, pro sumpta licitationem subeant. agitur hasta de pretiis singulorum. non immerito hasta agitur, ubi caput quaritur: non immerito ad auctorem peruenitur, ubi fors poscitur. Hac est feneratoris humanitas, hac debitoris stultitia, ut filiis quibus non reliquit pecuniam, libertatem auferat pro testamento chirographum dimittat, pro emolumento hereditatis, syngrapham obligationis.*

VI. REMED. Considera similiter pericula & damna feneratoris mutuo dantis sub vsura, quæ in Matthæum depingit Ioan. Chrysof. Chry. hom. 51.  
 Ostensus enim maiorem laborem in vitiis quam virtutibus exercendis impendi. *Quid enim, inquit, difficilius, quam feneratoris & pro vsuris, vel aliis commutationibus vehementer sollicitum vades querere, & modo de pignoribus, modo de sorte, nunc de calculis, nunc de vsuris, nunc de vadibus, ipsis formidare? In his enim secularibus etiam subtilis fideiussionum securitas suscepta fragilis est. Et post. Nescis quot homines sortem amiserunt feneratoris expectatione, quot in pericula deciderunt, quoniam ampla desiderarunt fœnora; quod tam seipsos, quam alios in ultimam deuoluerunt paupertatem propter nimiam auaritiam? Noli enim mihi dicere, quæso, quia gaudet & gratiam habet (debitor) quod sibi fœnore pecuniam colloces, id enim crudelitate tua coactus fecit. Et rursum. Nunquam rebus suis incundè vitur fenerator, nec letatur, quoniam habet, sed quando sibi fœnus collatum est, non tam gaudet quod additio facta sit, quam mœret, quod nondum vsura sortem adæquarunt: ac ideo antequam perniciosus iste fœtus perfectior edatur, cogitur alium fœtum producere: ita fœnora in sortem redire compelluntur & immaturum ac abortiuum partum parere viperarum. Tales certe isti fœtus pecuniarum sunt, ut magis miserorum animas corrodant, quàm illa fera alios parentum soleant lacerare. Hac iniustitia vincula sunt, hic fasciculus violentarum commutationum. Et iterum. Ea de causa pecuniis abundas, ut paupertate homines liberes, non ut in paupertatem intrudas, & verò simulatione solaminis maiores facis erumnas, & liberalitatem vendis fœnore. Vendas licet, si vendis regno cælorum, nec centesimam partem abiectum & certe minimum liberalitatis pretium, sed vitam rapis immortalē. Quid ita pauper & egenus es, ita pusillanimus, ut paruo magna, & caducis pecuniis liberalitatem vendas, cum possis æterno regno vendere? cur omissis Deo humano lucro sollicitaris? cur diuites transcurristi, & pauperi adhaeres? reliquisti eum qui reddere potest, et ingrato ac inopi loqueris? ille restituere desiderat,*

*desiderat, hic non reddet nisi coactus: hic vix centesimam partem, ille centuplum & vitam aeternam: hic conuitio & contumeliis, ille singulari ac precipua laude: hic inuidiam multorum in te suscitatur, ille inmarcescibilis tibi coronas connectit: hic deinde vix in hac vita, ille tam in hac vita, quam in futura. Putasne igitur extrema non esse amentia sic lucrari?*

VII. REMED. Considera grauitatem poenarum solo iure humano in foeneratores dectetarum. Ecclesiastico certe iure illis inflictae sunt decem. 1. quod a communione arceantur, licet non sint excommunicati omnino. 2. quod destituantur Ecclesiastica sepultura, si ante mortem vsuras non restituerint, vel de restituendo idoneam dederint cautionem. Et quod, qui eos sepeliunt, sint de facto excommunicati. 3. quod oblationes eorum in Ecclesia non recipiantur, & qui receperint, maneant suspensi ab officio, & reddere debeant quicquid est receptum. 4. quod publice ad sacramentum poenitentiae non sint recipiendi, nisi restituerint, vel idoneam de restituendo cautionem dederint, excepto solo articulo mortis. 5. quod eorum testamenta ipso facto sint irritantia si restituerint, vel idoneam cautionem dederint. 6. quod nullus interesse possit testamento vsurarii. 7. vt nullum Collegium, Vniuersitas, persona nulla vsurarios alienos, id est, non ex sua terra oriundos admittat, sed teneantur omnes locorum Domini tales expellere. Et qui secus fecerint, si est Episcopus, vel eo superior, ipso facto sit suspensus: si inferior clericus, ipso facto sit excommunicatus: si secularis, compelli debeat a magistratu Ecclesiastico censuris Ecclesiasticis. Si autem est collegium, vel vniuersitas, incurrat poenam interdicti. 8. Vt vsurario non detur actio repetendi vsuras, quas aliis soluit, nisi prius ipse restituat, quas ab aliis extorsit. 9. quod sint infames. 10. quod eis non sit parcendum, etiamsi bonis cesserint, aut mendicare debeant. Neque mirari debes tantas poenas vsurariis inflictas, quia non solum facti, sed etiam Ethnici Scriptores eos pro nequissimis hominibus habuere. Aristoteles in politicis ait vsuram prorsus cum naturae legibus pugnare. Cato Cenforius, teste M. Tullio, rogatus, *quid esset sanerari?* respondit. *Quid hominem occidere?* Augustinus quoque ad Macedonium scripsit *trucidari pauperem sanore.* Imo Christus comparauit eos latronibus, cum euerfis in templo numulariorum, (quos vsurarios fuisse notat in Matthaeum Hieronymus) mensis, dixit. *Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum.* S. Basilius & Chryostomus comparant eos pro-

e. quia in omnibus rit. de Vsuris.  
Clem. cos. de sepult.  
e. i. ibid.

e. quamquam. 6. de Vsur.

e. i. ibid.

e. Michael. de Vsur.  
c. infames 3. q. 7.

Ar. 1. pol. c. 7.  
Cic. 2. offic. 14.  
Aug. cp. 54.

Matth. 21. 12.

Bas. in Psal. 14.  
Chry. hom. 5. in Matth.

eos prodigiosis monstris. S. Ambrosius vult nihil illis esse nequius  
& à doctoribus æquari diabolo.

Amb. de Tobia.  
c. 4 & 6.

VIII. REMED. Considera exempla eorum, qui diuinitus ob vfu-  
ras castigati sunt. Terna refert Thomas Cantipratanus in Apiario. Cantip. lib. 2. c. 3.

In porta frontis Ecclesie Cathedralis in Gallia (vt didici fratre Minore refe-  
rente) imago Vfurarii sculpta de lapide desuper quasi cum sacco pecunia  
evidentius præminet. Vt autem quidam maximus ac ditissimus vfurarius  
ciuitatis Ecclesiam quadam vice per portam debuit intrare, imago prædicti  
vfurarii desuper cadens capiti intrare conantis illisit, & repente contritus tur-  
piter expirauit. Et mox addit alterum. Vidi & ego ipse in Brabantie par-  
tibus vfurarium nequam valde, qui multos nobiles & potentes exheredaue-  
rat, & pauperes spoliauerat supra modum. Hic frequenter occurrens religio-  
sis, rogabat quasi cum lacrymis pro se orari, sed in nullo penitus se correxit.  
Cumq; super hoc eum frequentius arguissem, nec tamen in aliquo profecissem,  
accidit vt repentina infirmitate correptus ad exitum propinquaret: & ecce  
subito duo ingentes tenebrarum canes lectum iacentis circuitibus ambiebant.  
Ipse verò protracta lingua ad longitudinem prope pedis dehiscens, horribiliter  
expirauit. Tertium sit. Accidit nostro tempore, vt certissima relatione di-

Id. l. 2. c. 26.

dicimus in Vacellensi monasterio, vt congesta cuiusdam defuncti feneratoris  
de Atrebatu pecunia in ipso cænobio seruaretur. Igitur die quadam cum ille  
famossimæ sanctitatis monachus Walterus de Beaumont iuxta scrinium, in  
quo pecunia seruabatur, oraret, desuper diabolus sedere vidit. Territus au-  
tem ad horam, sed signo crucis munitus, interrogat. Quid hic sedes, quid hic  
expectas nequissime humani generis inimice? Cui ille. Bene, inquit, & iuste  
hic sedeo, hoc quod meum est conseruando. Nec mora, monachus ad Abbatem  
currens, quid vidisset, exponit: Abbas verò in Atrebatum pecuniam cum o-  
mni velocitate remisit. Quartum refert Casarius in libris miraculo-

Cas. lib. 11. c. 39.

rum. In ciuitate, inquit, Metensi sicut mihi narrauit Abbas quidam Ordinis  
nostri, vfurarius quidam defunctus est, auarus nimis. Qui cum moriturus  
esset supplicauit uxori suæ vt crumenam denarius refertam iuxta se poneret  
in sepulchrum. Quod cum illa fecisset, quanto secretius potuisset, tamen late-  
re non potuit. Accedentes ergo aliqui sepulchrum latenter aperuerunt, & ecce  
duos ibi conspiciantur bufones, vnum in ore crumena, alterum in pectore. Ille  
denarios in ore de crumena extraherat, iste suscipiens extractos cordi eius im-  
mittebat, ac se diceret. Nos pecunia satiabimus cor tuum insatiabile. Qui-  
bus visis illi timore percussit terram reitientes, fugerunt. Quid putas ani-  
mam huius pati in inferno à vermibus immortalibus, si tam horrenda in eius  
corpore demonstrata sunt in sepulchro? Addit paulo post quintum. Fuit  
in Bacheim villa proxima famosa quedam vfuraria. Hec cum moritura ef-  
set, campum totum coruis ac cornicibus vidit repletum, & clamauit fortiter.

c. 41.

Gggg

Ecce

Ecce modo appropinquant foris ad me: & adiecit. O va ô va, modo sunt in tecto, modo in domo, modo pectus meum laniant, modo animam meam extrahunt: sicq; cum ululatu efflauit spiritum, à demonibus ad inferos educendum: qui eadem nocte corpus de feretro, multis qui aderant videntibus tolentes vsque ad tectum leuauerunt, & cum trahi impingerent iuxta limen ostii illud cadere sinentes, confregerunt. Exincta sunt luminaria, fugerunt homines mane in iam dicto loco corpus reperientes, quod bestiali sepulture tradiderunt. Sextum sit sancti Bern. Senensis. Legitur, inquit, de usurario quodam post splendidam cenam cum dormiret in lecto cum uxore sua subito experges factus exilierit de lecto: cum autem ab uxore sua, quid haberet interrogaretur, ait. modo raptus fui ante iudicium Dei, ubi tot & tam terribilia sunt opposita contra me, quod nec scivi, nec potui respondere: cumq; fuerim diu ad penitentiam expectatus, nec hucusq; volui diuini preceptis, & bonis inspirationibus obedire. Audiui nunc iudicem contra me sententiam protulisse, meq; datum audiui potestati demonum, qui me hodie ad aeterna supplicia asportare debeant. Quo dicto de pertica vili veste assumpta domum rabido cursu egressus est: quem sui hinc inde quærentes, in quodam monasterio monachorum matutinum cantantium inuenerunt. Cunctis igitur cum ad penitentiam inducentibus, nec proficere valentibus, rationis, aut exhortatione, vel precibus custoditus est diligenter vsq; ad sextam horam. Deniq; cum eius consanguinei domum illum reducere vellent, & ad quendam fluuiam, per cuius pontem transituri erant peruenirent: viderunt nauim quandam rapido cursu ascendente à nullo, ut videbatur, conductam: sed ab usurario plena demonibus visa est, qui, ut ait, ideo venirent, ut eum ad aeterna supplicia asportarent. Quo dicto, statim violenter de manibus eorum à demonibus rapitur, & in nauem proicitur, & cursu rapido retracta, subito disparuit eum demonibus & prada, prefata nauis.

IX. REMED. Pro fœneratoribus, qui queruntur si non fœnerentur, se non habituros, vnde viuam. Audent etiam fœneratores, inquit B. Augustinus, dicere. Non habeo aliud, vnde viuam. Hoc mihi & latro diceret deprehensus circa parietem alienum; hoc mihi & lano diceret, emens puellas ad prostitutionem: hoc & maleficus incantans mala, & vendens malitiam suam. Quicquid tale prohibere conaremur, responderent omnes, quia non haberent, vnde viuarent, quia inde se pascere: quasi non hoc ipsum in illis maxime puniendum est, quia artem nequitie delegerunt, vnde vitam transigant, & inde se pascere volunt, vnde offendant eum, à quo omnes pascuntur. Et B. Chrysostomus in Matthæum. An forte modi uisè viuendi non inueniuntur? Num sunt agrorum cultus, gregis pabula, armentorum custodia, manuum operatio, solers rerum tuarum cura? Quid in sanis, quid cespitas agriculturæ spinarum occupatus. Sed aduersantur, in-

S. Bernardin.  
serm. 43, art. 3.  
c. 3.

Aug. in Psal. 128

Chry. hom. 57.



quies, frugibus terra multa, grando, rubigo, imbres copiosi. Sit sane, non tamen tot tantaq; illis contraria sunt quot fœnori. Quicquid enim accidit, fructui solummodo nocet: fors autem, id est, ager semper inuiolabilis remanet. In hac vero tua mercatura multi sortis etiam naufragium pertulerunt, & antequam detrimentum patiantur, continuè curis vexantur. Et S. Basilius Basil. serm. 2. in psalmum 14. Quomodo, inquis, nutriar? Habes manus, habes artem, fac aliquid unde mercedem capias, ministerium cuiuspiam exhibeto stipis emerenda gratia. Multa sunt excogitata parando victui exercitationes, occasiones multa. Atqui vires non suppetunt ferendo labori idoneæ? Ne corrogare ac petere pigeat te ab opulentis possessoribus. Verum turpe, inquis, rogare? Turpius verò accepto fœnore omnibus spoliari. Non omninò dando leges, hoc ego dico sed ostendens omnia tibi tolerabiliora esse, quam fœnore inuolui. Formica potest, neq; rogans neq; mutuo accipiens, nutrir: & apes proprii nutrimenti reliquias regibus gratuito condonant, quibus nec manus, nec artes natura dedit: tu autem industriam animal, homo, vnã tantum ad vitæ usum viam reperire nescis?

X. REMED. PRO mutuataris, qui quæruntur se vitam tolerare non posse, nisi mutuam pecuniam accipiant à fœneratoribus. Docent quidem Theologiæ moralis tractatores quemlibet Christianum posse necessitate aliqua urgente accipere mutuam à fœneratore, imò extrema necessitate urgente posse etiam alium in iucere ad mutuo dandum cum spe fœnoris, id tamen S. Patres dissuadent, nominatim S. Basilius loco citato. ita enim scribit. Dixeris tu mihi. Urget mediocris necessitas, spe interim nulla alicunde affluente proventus pecuniarum. Que quæso utilitas ex hodierna dilatione? Rursus ad te paupertas, ut velox cursor recurret, & ipsa necessitas cum auctario aderit. Fœnus enim omnimodam liberationem, sed parvam difficultati moram præbet. Hodie patiamur ex egestate dura, & ne cunctemur in crastinum. Nam si nunc minimè acceperis simili modo fueris hodie, & reliquo deinceps tempore pauperi. Si autem acceperis, longè plus affigeris fœnore paupertatem augente. Et nunc quidem nullus tibi probro dat paupertatem, cum malum sit minimè voluntarium: si autem fœnori fueris obnoxius, nemo erit qui non te stoliditatis con demnet. Et paulo post. Quid ergò nobis ipsis opprobria ex are alieno comparamus: nemo vulnere vulnus curat, nemo malis malo medetur, nec paupertas fœnore corrigitur. Diues es? noli mutuo sumere. Pauper es? noli item sumere, nam si nullius rei es indigus, quid tibi cum fœnore? Si verò nihil habes, non iam mutuam rependes. Noli tuam ipsius vitam serapententiæ tradere, ne quando beatos existimes dies, qui fœnus præcesserunt. Hoc enim vno pauperes à diuitibus differimus, quod securi sumus, atq; eos vigilantes continuo nos dormientes videmus. Qui autem debet, & pauper est, &

Pro. 5. 15. iuxta  
70.

*curis anxius, ne noctu quidem indulget somno. Et rursum. Bibe igitur misere ex tuis vasis aquam ut ait Salomon, hoc est, proprias considera facultates ac subsidia vite. Non ad alienos fontes propera, sed ex proprii fontis scaturigine tibi vite solatia collige. Habes vasa area, vestes, iumenta, diversi generis suppellectilem, hac vende; omnia denique perdere ac proiicere praestat, quam libertatem. Sed me pudet, inquis, hac publicare. Quid ergo, ut paulo post alium abs te eadem in medium efferat, tuorumque bonorum auctionem faciat praecanis voce publica, & in oculis tuis vili pretio vendat? ne ad alienas fores accedas. reuera enim puteus alienus angustus. Melius est longè paulatim studio & exercitatione egestatem consolari, quam vno simul tempore elatum alienis facultatibus paulo post omnibus simul apud te existentibus priuari. Si habes unde reddas, cur presentem necessitatem eorum quae habes subsidis non releuas? Si verò cunctaris exoluere, & haeres dubius, malum malo curas. Sumere mutuo, initium mendacii, ingratitude occasio, perfidia & periculi. Pauper es nunc, sed liber: si acceperis ad usuram mutuum, primum per hoc non ditescēs, sed & amittes libertatem.*

VIDE V. *Auaritia. Impatientia in paupertate. Munerum corruptela. Negotiatio illicita. Simonia.*

F I N I S.

LAUS DEO DEIPARÆQ.



INDEX